1, Joannes Brentius, recognitio prophetreae et apostolicae doctrinae de vera majestate Domini nostri Jesu Christi. Tubing. 1564.

2, Conciliatio ~~de~~ articuli de coena Domini, inter ministros, qui in utraque Polonia etc. 1570

3, Joannis Brentii sententia de libello D. Henr. Bullingeri, cui titulus est tractatio verborum Domini: in domo patris mei etc. Tubing. 1561.

4, Vergerius, ordo eligendi pontificis et ratio. Tubing. 1556.

5, Catalogus novus ex nundinis vernalibus Francofortii a. M. celebratis. 1572.

A. M.

1589

Theodor. dial. 3. p. 307

Schemes cum adversario contentio de disceptatio abducit sermonem a mediocritate. Quemadmodum in agricola, cum curvas frondes extendere conatur ut rectae crescant, plusculum inflectunt eas in contrariam partem: Ita multi dum acrius adversario resistunt nimio contentionis studio in contrarium malum incurrunt et a recta doctrina aberrant,

Exod. 399.
Boq. 159. 211
Buc. 5. 550

Recognitio

Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, de vera Maiestate Domini nostri Iesu Christi, ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis.

In hoc Scripto refutatur liber Henrici Bullingeri, cui author titulum fecit: Fundamẽtum firmum, cui tutò fidelis quiuis inniti potest, &c.

Authore Ioanne Brentio.

Item appendix publicorum testimoniorum, quibus manifestè ostenditur, Cinglianos nostram, hoc est, verè piam sententiam de cœna DOMINI, mala conscientia oppugnare.

TVBINGÆ APVD VI.
duam Vlrici Morhardi.

1564.

R. V. 0

AD ECCLESIAS

in quibus docent propugnatores Cingliani dogmatis de cœna DOMINI, excusatio

IOHANNIS BRENTII.

VIDEBOR FORTASSE nonnullis in hoc scripto acrius & vehementius in Cinglianos inuectus esse. non enim debui ad contumeliam summæ maiestati Domini nostri Iesu Christi illatam, ignauiter stertere, & veritati oscitanter patrocinari. Volo autem testatum esse, me nomine Cingllanorum, non intelligere Ecclesias, in quarum cathedra regnat dogma Cinglianum de cœna Domini: sed tantùm dogmatistas, qui Ecclesiis impiam suam doctrinam, omni grauissimarum aduersus nos criminationum genere, petulanter & peruicaciter obtrudunt. Nul um quidem impium dogma est in Ecclesia filij Dei approbandum: sed interea non omnes eius auditores sunt nostra morositate in tartarum detrudẽdi. Multi horum flagrant desiderio cognoscendæ veritatis: sed præ imbecillitate iudicij sui, & improbis ac speciosis dogmatistarum suorum uociferationibus, abripiuntur, præter animi etiã sententiam, in communem errorem. Multi vel tandem, vt

ſperamus, in extremo agone, in viam redeunt, & abiecto, aut præ alijs grauioribus tentationibus non cogitato hoc certamine, in ſolo vero fundamento, quod eſt Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, conſiſtentes, ex hac vita excedunt. Non eſt ignotum, quanta fuerit piæ doctrinæ vaſtitas in regno Iſraëlis. Et tamen extat cœleſte oraculum: Reliqui mihi ſeptem millia virorũ, qui nõ curuauerunt genua ſua ante Baal. In regno quoq; Iudæ, etſi publica obtinebat idolomania, vera tamen Eccleſia Dei non perijt. Montes, inquit Dñs per Eſaiam, commouebũtur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Temporibus Aſmonæorum ſeu Simonenſium, manifeſta fuit profeſsio Epicureiſmi & Hypocriſeos per Saducæos & Phariſæos introducta: ſua tamen filio Dei eccleſia conſeruata eſt. Nec eſt inuſitatum, quòd oues Chriſti conſeruentur etiam in medio luporum. Nemo (inquit) poteſt eas de manu mea rapere. Et Paulus cũ ad Philippẽſes ſcribit: Attamẽ (inquiẽs) quouis modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatẽ, Chriſtus tamen adnunciatur, apertè oſtendit, Chriſtũ, quoquo modo adnũcietur, tantummodo adnuncietur, nõ eſſe ceſſatorem, ſed occaſione quaqua per miniſterium exhibita, ſuam colligere eccleſiam. Omnino quidem faciendum eſt noſtrum officium: et dãda eſt, quoad eius fieri poteſt, ſumma opera, vt verè pia doctrina, ſine vlla corruptela, in eccleſia inſtauretur, conſeruetur & ad poſteros propagetur. Sed ſi ita res cadat, vt Satanę et membrorum:

rum eius malitia, doctrina veræ religionis, sordibus impietatis inquinetur, non est tamen animus de salute veræ ecclesiæ despondendus. Quantum fuit impietatis in Arrianismo, in vniuerso orbe terrarum? Et tamen electi sunt conseruati. Quantum fuit, & adhuc est reliquum Idolomaniæ & Magiæ in Papismo? Et tamen quia retenta fuit ibi aliqua pars ecclesiastici ministerij, & generalis Catechismi, non dubitamus, quin in ea impietatis inundatione, multi veram sint salutem consecuti. Maiores nostri non rebaptizarunt baptisatos antea ab hæreticis, et conferentes se ad ecclesiam Catholicam. Quo haud obscurè significarunt, quòd, etiamsi hæreses sint impiæ, & dãnandæ, tamen Christus non desinat, etiam in medio hęreseon (sed earum, per quas fundamentum, et ministerium non est prorsus sublatum) suas oues eripere & conseruare. De hac re volui pium lectorem initiò admonere, vt sciat, me in hoc Scripto, & in id genus alijs, non ecclesias ipsas, sed impios & obfirmatos dogmatistas, ac impia eorum dogmata insectari.

ENE IGITVR VERTAT. Statui propitio Deo, maiestatē Domini nostri Iesu Christi, iterum, nō dico, pro sua dignitate, quis enim hīc esset conatus tam temerarius? sed pro mea virili, explicare, & ab hostibus eius, quoquo modo possum, vindicare. Quam si tu Bullingere, cum tuis gregalibus, inuiolatam & sacrosanctam reliquisses, cùm tuæ ipsius saluti magis consuluisses, tùm veram filij Dei Ecclesiam minus offendisses. Nunc autem, quia iecisti aleam, & perfricuisti frontem, agedum: reputabo cum animo meo, non quid tu sis meritus, sed quid mei sit officij. Et suscipiam, aspirante diuina gratia, docendum, quòd nobis in expositione maiestatis Christi, neq; cum Nestoriana, neq; cum Eutychiana, neq; cum Suuencofeldiana, neq; cum vllis alijs vel vetustioribus, vel recentioribus impietatibus, quicquàm prorsus sit commune: sed quòd illud pro nostra tenuitate explicemus, quod tam prophetica quàm Apostolica scripta, de Christo vero Deo & vero homine tradunt: & quod creditu ad æternam nostram salutem necessarium est. Hic exclamabit protinus quispiam incogitantior. Quid? Amphora cæpit, vt dici solet, institui, cur vrceus exit? Hactenus de cœna DOMINI, & de vera corporis & sanguinis Christi præsentia, sermo fuit: nunc de maiestate Christi differitur. Quid hoc ad illud? Bullingerus ipse arbitratur mysterium cœnæ potuisse longè alia ratione illustrari, quàm

quàm, vt certissima capita fidei nostræ in disputationem traherẽtur. Quęso autẽ te, optime mi lector, recede mihi memoria tua paulisper, ab hoc tempore, ad huius controuersiæ à Cinglianis excitatæ, initium: an non deprehendes eos illos ipsos esse, qui cum inciperẽt, veram corporis et sanguinis Christi præsentiã in cœna negare, susceperint eam his fidei articulis: Verbum caro factum est: Ascẽdit in cœlum: Sedet ad dextram Dei patris: Inde venturus est ad iudicandos viuos & mortuos, oppugnandam? Verbum, inquiunt, caro, non panis, factum est. Christus ascendit corpore suo in cœlum: corpus igitur eius non est in cœna. Christus sedet ad dexteram Dei in certo loco: non est igitur nunc corpore suo præsens in cœna. Christus venturus est ad iudicium. Corpus igitur eius non est interea in cœna præsens. Hæ sunt Cinglianorũ argumentationes. His complent vtranq; paginam. In his omnem causæsuæ fiduciam collocãt. Et Bullingerus oblitus veteris prouerbij, Oportere mendacem esse memorem, cum ab initio exprobrasset nobis, quod paulo ante cõmemorauimus, nos capita fidei nostrę in disputationem trahere, fatetur tandem ipse, se & suos expositioni nostrę verborum cœnæ dominicæ oppo- *Folio 154.*
suisse articulos fidei. Quid igitur faceremus? Certè hæc capita omnino iuxta veram sacræ scripturæ sentẽtiam explicanda erant, vt falsò illi cõquerãtur, se in perplexissimam eorum, (sic enim Bullingerus loquitur) disputationem pertrahi. Scilicet conniuẽdum fuisset, vt carnali & peruersa sententia deprauarentur, & ad stabi-

ad ſtabilienda impia dogmata detorquerentur. Illud etiam, non ſemel, ſed iterum atq; iterum Bullingerus, penè muliebriter conqueritur, ſe in hanc harenam à me pertractum. Qua in re non video, quid ſibi delicatus homo velit, niſi vt captet ſibi apud ſuum theatrum beneuolentiam, & amoliatur in me huius diſsidij culpam. Etſi autem in præſentia nõ quæritur quis primus fuerit harum rixarum author, ſed quis cauſam piè, rectè, & iuxta veram Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum ſententiam explicet: tamen vanitas iſtorum hominum non eſt ſilentio prætereunda. Cum Bullingerus ædidiſſet libellum ſuum de cœleſtibus manſionibus, non ſuſcepi eum priuata temeritate, ſed publica autoritate iudicandum. Fatebor enim, quod res eſt, niſi huc mandato ὑπερεχούσης ἐξουσίας adductus fuiſſem, illum libellum, ne quidem dignatus eſſem inſpicere. Vſq; adeò iam aliquot annis pertæſus ſum lectionis Cinglianarum nugarum: præſertim cũ Cingliani haberent alios antagoniſtas, qui me hyperaſpiſta minimè indigerent. Et quid? Nulla certè verecundia eſſem Bullingero obſtrictus, etiamſi mea ſponte ſuſcepiſſem damnandum illud dogma, quod meritò damnandum iudicabam. Tabulæ publicarum legum concedunt cuiuis è vulgo, in multis ſcelerum generibus, actionem, quam vocant, popularem. Ego autem cenſeo, Bullingerum ſuo errore non in vnum tantum hominem priuatum, ſed in vniuerſam eccleſiam Chriſti peccare. Quomodo ergo non licuiſſet mihi, iam in publico eccleſiæ miniſterio, plus

quàm

quàm quadraginta annos, verſato, impetum graſſantis in eccleſiam adoriri, & conari propellere? Sterten-dum ſcilicet, dum Calydonius aper vineam Domini vniuerſam deuaſtaret, & nõ potius gladio verbi Dei excipiendus eſſet?

Cæterùm, quód aduerſarius de ſua modeſtia iterũ atq; iterum iactat, haud ſcio, num etiam σύμμαχοι eius abſq; riſu & vanitatis ſuſpitione ſint lecturi. Fuit quondã Socrates à petulantibus nõnullis adoleſcentibus contumeliosè tractatus, ac facie quoq; proſciſſus. Viſum autem eſt ei, non aliud vindictæ genus vſurpare, quàm vt ad frontem nomina eorũ adoleſcentum adſcriberet: quò obuius quiſque, notatis nominibus, autores tantæ contumeliæ cognoſceret. Ego: quia nomen conuitiatoris mei notiſsimum eſt, adſcribam huc quædam tantùm ſelectiorum conuitiorum nomina, vt quiuis intelligat, quanta ſit huius hominis modeſtia. Ego enim Bullingero ſum rixator, ſpiritus inflatus, calumniator, ſcurrilis, luſor, momus, peruerſor, mendax, impurus, impudens, garrulus, logodædalus, iactator, eiector Chriſti è cœleſti ſuo throno, furens, leuis, leptologus, conuitiator, contumelioſus, Eutychianus, ſophiſta, debacchator, et peior Suuenco feldio ipſo. Hæc ex multis pauca ſunt epitheta, quibus homo ſcilicet modeſtus me ornat. Doctrinam autem quam profiteor, & librum quem de maieſtate ſcripſi, vocat Brentianas nebulas, figmenta, nugas vanas & futiles, ſcurriles ineptias, doctrinam diſſoluentem ſpem de certa fidelium ſalute in cœlo, inſaniam,

phantaſiam, artem Sophiſticam, ambages ſubdolas, cõmenta falſiſsima, elumbe ſcriptũ, ſophiſmata, verſutias, librum maieſtuoſum, librum perplexorum, chimæram vbiquariam, ſophiſticã Ægyptum, nugas putidas, vbiquitatem prodigioſam, verba furiola, & ſi quid eſt his amarulentius. Habes Bullingeri erga me modeſtiam, toties iactatam, quam certè nullus curaſſem, ſi potuiſſet ipſe ſibi à tam impotẽti iactantia temperare. Miror autem, quid in præſentia concionetur de modeſtia nobis inter ſe belligerantibus. Nõ ignoro, modeſtiam eam eſſe virtutem, quæ ſemper ſuam, in quauis re habeat commendationem. Sed aliæ ſunt leges belli hoſtilis, ad quod gerendũ diuinitus es vocatus & impulſus: alię, domeſtici diſsidij, quod carnali magis affectu quàm ſpirituali iudicio ſuſcepiſti. In hoc quicquid importunè aut dixeris aut feceris, immo deſtum & repræhenſione dignum eſt: in illo vero audis: Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, et prohibet gladiũ ſuum à ſanguine. &: Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petrã. Quid ergo eſt, quòd Bullingerus modeſtiam in prẹſentia vel de ſe iactat, vel à nobis requirit? Si belligeratur cõſcientia bonæ cauſæ, & ex vocatione Dei, licebit belli iure, quoquo modo poteſt, vti, et ligonẽ vocare ligonẽ: ſcaphã, ſcapham. Sin aũt pergit nullo Spiritus ſancti impulſu, ſed mera tantùm animi, in defendenda mala cauſa, obſtinatione (de quo equidẽ non dubito) in vineam Domini hoſtiliter graſſari, tum ſiue modeſtè, ſiue immodeſtè ſcribat, iuxtà refert: quandoquidẽ peccatum

eſt,

eſt, quicquid nõ fuerit ex fide. Ego, quod ſciat Bullingerus, fui iã inde ab initio, quo Cingliani à nobis, hoc eſt, à doctrina verè pia, diſceſſerũt, nõ clancularius, ſed apertus aduerſarius impĩj ipſorũ de cœna dñi dogmatis. Quare cũ agnoſcam eos hac in parte cõiuratos eſſe hoſtes piæ doctrinæ, & belligerer cũ ipſis, nõ ex carnis affectu, ſed è ſpirit' vocatione, nõ debet mihi fraudi eſſe, ſi quando alacriori animo, & liberiori ſtylo, in mẽdacia, calũnias, et impietatẽ ipſorũ incurrã. Bullingeri aũt, quod ad me quidẽ attinet, ſeu modeſtiam ſeu immodeſtiam nihil moror, cauſa ipſa mihi curę eſt: ad quã explicandã, precor Ieſum Chriſtũ filium Dei, de cuius maieſtate agitur, vt Spiritu ſancto ſuo illas mihi vires clementer largiatur, quibus & meum ſtudium, tam ipſi, quàm eccleſię eius probem, et cœleſtem veritatem, quo ad eius per me fieri poteſt, defendam.

Sed anteq̃ ad principalẽ causã acceſſero, nõnihil di cẽdũ eſt de priori parte Scripti Bullingeri: in qua profitetur, ſe medicũ offendiculorũ, quæ ex eccleſiaſticis diſsidijs oriri ſolent, καὶ διδάσκαλον ὑπτίων, qui ex his rixis ita perturbantur, vt neſciãt, qua via inſiſtant. Et quę quidẽ de vſitatis in eccleſia certaminibus cõcionatur, hiſtorica ſũt, ac peritis rerũ eccleſiaſticarũ minime ignota: & iã antè à noſtris diligenter expoſita. Hęc quia ad noſtram hanc cauſam propriè nihil pertinent, prætereo. Laudo etiam in hac parte diligentiã Bullingeri, quòd ſcribat: fundamentum noſtræ ſalutis eſſe ſolum Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum: & omnes eccleſiaſticas cõtrouerſias, doctrina Chriſti et Apoſtolorũ

eius definiri ac componi posse. Etsi enim inspergiti in his semina quædam suorum errorū, tamen in his expendendis, non libet nunc nobis sollicitis esse. Illud autem non est dissimulandum, quòd, etsi quędam vera dicit, & recta docet, non tamen idcirco probandæ sunt hallucinationes eius de cœlo suo, de dextera Dei, de absentia corporis Christi in cœna, deq; alijs id genus articulis. Memoria maiorum nostrorum fuit Romæ Psittacus (quemadmodum monumenta literarum tradunt) centum aureis numis emptus, qui Symbolum Apostolicum tam disertè recitauit, vt si non vidisses, existimares te vocem eruditi hominis audire. Si hoc potuit auicula edoceri, quid mirum est, si homo ab ineunte ætate in schola ecclesiæ versatus, possit summam doctrinæ ecclesiasticæ, expeditè commemorare? Apud Euangelistas vociferatur legio dęmonum, Iesum filium Dei altissimi. In actis Apostolicis clamat spiritus Pythonis de Paulo, & comitibus eius: Isti homines serui Dei excelsissimi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Nunc quid ergo, quia dæmones semel verum dicunt, semper verum dicere existimandi sunt? Non igitur sentias, Bullingerum in posterioribus partibus scripti sui consentanea veritati idcirco docere, quòd in priori parte quædam à veritate non abhorrentia recenset.

Quod autem hic ecclesiasticorum morborum medicus, & cõtrouersiarum diremptor, existimat, lites in ecclesia excitatas, posse, recitato vno & altero, coq; inexplicato, seu cum ijs, quæ videntur pugnare, nõ collato

lato ſcripturæ loco, cõponi, aut ſimplicioribus ſatisfieri, generalius eſt, quàm quòd perturbatis animis ſuccurrat. Quam enim regulam orthodoxus ſuo auditorio præſcribit, eandem hæreticus etiam apud ſuos vſurpat. In Arriana controuerſia, dicit orthodoxus ad ſimpliciores ſuos auditores: Noli, quæſo, offendi his rixis doctorum de conſubſtantialitate filij Dei cum Deo patre ſuo: Habes manifeſtum ſcripturæ teſtimonium. Ego (inquit Chriſtus) & pater, vnum ſumus. In hoc teſtimonio conquieſce: hîc fige pedem: nec ſinas te ab hac ſtatione depelli. Sed idem repetet hæreticus apud ſuos ſimpliciores: Noli, quæſo, offendi his rixis doctorum de conſubſtantialitate filij Dei, cum Deo patre ſuo: Habes manifeſtum ſcripturæ teſtimonium. Pater (inquit Chriſtus) maior me eſt. In hoc teſtimonio conquieſce: hîc fige pedem: nec ſinas te ab hac ſtatione depelli. Quid hîc faciant homines ſimpliciores? Audiunt ex vtraq; parte ſcripturæ teſtimonia, eaq; vt apparet, manifeſta: & tamen alterum alio detortum eſt. Quò igitur ſe vertent?

In controuerſia de inuocatione Sanctorũ, orthodoxus dicit ad ſuum auditoriũ. Habes perſpicuum ſcripturæ dictum. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Hîc conſiſte firmus: ab hoc dicto non patiaris te dimoueri, etiamſi fractus illabatur orbis. Sed idem repetet apud ſuos Papiſta: Inuocetur (inquit patriarcha Iacob) nomẽ meum, MEVM, inquam, ſuper eos. Et Iob: Ad aliquem ſanctorum cõuertere. In his dictis conſiſte firmus; ab his dictis non patiaris

te dimoueri, etiamsi fractus illabatur orbis. Quò nunc se vertent simpliciores?

In controuersia Sacramentaria, Catholicus monet suos simpliciores, vt verbis cœnæ Dominicæ: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, firmam fidē adhibeant, nec patiantur se à simplicitate horum verborum abduci: quòd & Christus sit verax, qui non mentiatur; & omnipotens, qui, quod affirmat, reipsa perficere queat. Cinglianus autē apud suos vociferatur. Habetis, auditores, perspicuum Christi dictum. Relinquo mundū, & vado ad patrē. Et. Caro nihil prodest: Fieri ergo nō potest, vt corpus Christi et sanguis eius sint in cœna substantialiter præsentia: & ibi illud edendum, hic aūt bibendus corporaliter, distribuantur. Simplicior quispiam audit vtrunq; audit testimonia scripturæ vtrinq; : & si personas respexerit, videt autoritate apud suos præditum vtrunq;. Si auditores intueatur, videt suos habere assensores & applausores vtrunq;. Quid igitur faciat? quò incliner? Possem ad eundem modum omnia exempla, quæ recitat Bullingerus, & his plura percurrere: sed quid profuerit in re aperta longos facere logos? Illud enim tantùm ostendere volui, quòd quo pharmaco hic medicus suscipit imbecillitati suorum simplicium medendum, eodē liceat omnibus, quāuis hæreticissimis, ad seducendos suos simplices, abuti: ideoq; dimittat suos simplices hac regula multò incertiores & perturbatiores, quàm antea fuerant. In ecclesiasticis enim controuersijs, non agitur tantùm de verbis ipsis scripturæ, quippe quorum

rum autoritatem vtraq; pars agnoſcit et approbat: ſed agitur de ſcripturæ ſententia, quæ non priuato arbitrio excogitanda, ſed ex collatione aliorum ſcripturæ locorum cognoſcenda eſt & explicanda. De intelligentia, inquit Hilarius, hæreſis, non de ſcriptura eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen. *Hilarius lib. 2. de trinitate.* Et Hieronymus. Non ſibi blandiantur, inquit, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt: cum & diabolus de ſcripturis aliqua ſit loquutus: & ſcripturæ non in LEGENDO conſiſtant, ſed in INTELLIGENDO. Non ſunt quidem ſimpliciores homines onerandi ſuperuacaneis, curioſis, & à ſacra ſcriptura alienis quæſtionibus. In controuerſijs autẽ, quæ ſunt de rebus neceſſarijs, et quarum cognitio ad æternã ſalutem pertinet, non ſunt generalitatibus, quibus Cingliani inprimis gaudent, ludificandi, ſed diſerta, verę ſententiæ, dictorũ, explicatione erudiendi, vt ſint malitia quidem pueri & ſimplices, ſenſibus aũt perfecti. Vides ergo in pollicitatione Bullingericæ medicinæ, parturire quidẽ montes, ſed naſci ridiculũ murẽ. His pauciſsimis reſpõſum eſt, penè ad dimidiã partem ſcripti antagoniſtæ noſtri. Non enim libet ſingula, ac præſertim, quę nihil aut parum ad principalẽ cauſam faciunt, pluribus perſtringere, quòd debeat vel tandẽ eccleſiaſticarũ controuerſiarũ, & modus & finis eſſe: ac magis delector in expoliendo ſacræ ſcripturę auro, q̃ in euoluendis aduerſarij ſordibus verſari. Ad cauſam igitur ipſam propero, de qua, etſi antè mea ſententia perſpicuè extat, tamen viſum eſt eam & recognoſcere,

noſcere: & quo ad eius iterum fieri poteſt, explicare, omnino forè ſperãs, vt qui ſunt verè pij, & cauſã rectè iuxta Prophetica & Apoſtolica ſcripta explicatam intelligunt, non ſinant ſe lædorijs, conuitijs, tergiuerſationibus, ſcommatis, mendacijs & calumnijs, quibus Bullingerus in me graſſatur, à vera ſententia abduci.

Sequar autem in hac mea reſponſione vſitatum ordinem, non illum qui antagoniſtæ arridet, ſed quem ipſa rei natura tradit. Non enim vtiliter expoſueris aſcenſum Chriſti in cœlum & ſeſsionem eius ad dexteram Dei patris ſui, niſi antea incarnationẽ, ſeu vnionem eius perſonalem, rectè & piè intellexeris: quippe quòd ex huius cognitione, illa omnino pendeant.

Scio myſterium incarnationis filij Dei, eſſe humano captu imperſcrutabile, adeoq; etiam ineffabile: Spiritus ſanctus tamen non voluit nos ad verba ſacræ ſcripturæ, quæ eſt epiſtola Dei ad humanum genus, eſſe ſtipites ac truncos: ſed potius exigit, vt cognoſcamus veram ſententiam eorum, quæ nobis credenda proponuntur. Illud oro, inquit Paulus, vt charitas veſtra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omniq; intelligentia, vt probetis, quæ ſint præſtantia. Et iterum: Non deſinimus pro vobis orare, & poſcere, vt impleamini cognitione volũtatis eius in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, vt ambuletis dignè Domino. Dicam igitur primùm omnium de perſonali duarum naturarum in Chriſto vnione, qua poſſum perſpicuitate. Quæritur quidem Bullingerus de meorum ſcriptorum perplexitate & obſcuritate, non eſt

autem

autem mirum, quòd quæ ſunt per ſe perſpicua & expedita, videantur homini cæcitate mentis percuſſo, obſcura et perplexa. Etſi autem antea ſatis multa à nobis de hac re dicta & expoſita ſunt, tamẽ nouis calumnijs & mendacijs occurrendum eſt: & non poſſunt tam multa de vera Chriſti maieſtate dici, quin adhuc infinita ſuperſint dicenda.

Cæterùm, vt lector intelligat, quid ſibi expectandum ſit in hoc ſcripto, diſtribuemus in ſua capita. Ac primùm dicamus de incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Adhæc, de aſcenſu Chriſti in cœlum, de acceſſu eius ad Deum patrem ſuum, & de aſcenſu eius ſuper omnes cœlos. Deindè, de ſeſsione eius ad dextram Dei. Poſtremò, de adoratione & inuocatione Chriſti, vt, demonſtrata ex his omnibus vera maieſtate Chriſti, vera etiam præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna demonſtretur & cognoſcatur.

De incarnatione CHRISTI.

INcarnationem igitur Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu perſonalem filij Dei cum filio hominis vnionem, vocamus coniunctionem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto: quarum altera quidem non mutatur in alterã, nec altera cum altera cõmiſcetur, ſed ita ſunt vnitæ, vt etſi vtraq; manet ſalua & inuiolata, tamen nunq; in æternum ſeparentur, aut diſſoluantur: nec conſtituant

duas, ſed vnam tantùm perſonam, in qua diuina natura effundit omnem ſuam maieſtatem in humanam naturam, & ornat eam omni cœleſti ſua virtute, gloria, honore ac dignitate, vt verè dicatur, et ſit, totus Deus homo, & totus homo Deus. Exiſtimo nullum hîc eſſe inuolucrum, nullam obſcuritatem. Et tamen nõ grauabimur ſingulas partes percurrere, vt non ſolùm clarius explicentur, verùm etiam ſuis Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ teſtimonijs confirmentur.

N TOTUS non TOTUM.

Ac initio, nõ iam in vocabula, quibus hæc vnio efferri ſolet, accuratius inquiram. Alij vocant duarũ naturarum coniunctionẽ, alij cõpoſitionem, alij conglutinationem, alij coagmentationem, alij conſociationẽ, alij copulationẽ. Nihil horum diſplicet, vera modò et pia ſententia retineatur: videlicet, Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrũ, non ex vna tantùm et ſola diuina, nec ex vna tãtùm & ſola humana, ſed ex vtraq; diuina et humana natura, conſtare, quæ duæ naturæ in vna perſona Chriſti ita conueniunt, vt nunq; diſſoluantur, & à ſe inuicẽ ſeparentur. Deinde, nomine humanæ naturæ, hoc loco nõ intelliguntur (quemadmodũ aliàs copiosè eſt expoſitũ) proprietates humanitatis accidentariæ, ſed eſſentia ipſa ſeu ſubſtantia humanitatis, vt, ſicut diuina natura ſignificat ſubſtantiã ſpiritualem, ab æterno, & rerũ omnium creatricẽ, ita humana natura ſignificet ſubſtantiam animæ rationalis & corporis, à Deo creatam. De qua re lectorẽ idcirco tam diligenter admoneo, quòd videã Cinglianos vocabulum humanæ naturæ cõfundere, ac nunc nomine eius intelligere

ligere ſubſtantiã rei, nũc accidẽtia ſeu inhęrentia eius, vt liceat ipſis ſub hac vocabuli ambiguitate errorẽ ſuũ lectori obtrudere. Cũ enim dicimus, quòd in hac vnione vtraq; natura in Chriſto maneat integra & inuiolata, nos quidẽ intelligimus, nec ſubſtantiã diuinitatis mutari in ſubſtantiam humanitatis, nec fieri ex vtraq; ſubſtantia vnã tantum naturã, per commixtionẽ, ſicut ex cõmixtione aquæ et vini vna tantùm fit natura: ſed dicimus, vtranq; ſubſtantiã ſaluam et incolumẽ, in ſua eſſentia permanere. Neq; enim diuinitas fit humanitas, neq; humanitas fit diuinitas, ſed ex diuinitate & humanitate inter ſe vnita ſeu coniuncta, ſeu copulata ſeu conſociata fit vna perſona. Cingliani autem intelligunt nomine naturæ, accidẽtia ſeu proprietates, quę ſubſtantiæ inhærent: ac fingunt, quòd quæ accidunt ſubſtantiæ humani corporis, iuxta huius corporalis mundi conditionẽ, ea neceſſariò inhæreant ipſi etiã in altero ſpirituali & cœleſti mundo: nec poſsint à corpore, ſalua eius ſubſtantia ſeparari. Etſi enim videntur ſuum, inter inhærentia & proprietates, diſcrimen obſeruare, tamẽ multas accidentarias proprietates, inter quas nõ poſtremum locũ obtinet phyſica corporis locatio, ita ſubſtãtiæ infigunt, vt exiſtiment, eas, nõ niſi interitu eius, ab ipſa ſeparari poſſe. Sed de hac re ſuo loco copioſius. Nũc pergemus in deſcriptione perſonalis duarũ naturarũ vnionis in Chriſto. Spero aũt meam, hoc eſt, orthodoxam ſententiã de duabus in Chriſto naturis, in prioribus meis ſcriptis tam perſpicue extare, vt non niſi aut furore mentis cæcati, aut

virulenti Sycophantæ queant me vel Eutychiani, vel Suuencofeldiani, vel alterius impij erroris verè accusare. Prosequor igitur in præsentia reliqua. Hactenus enim nondum peruenimus ad proprium & peculiare discrimen, quod est inter Christum et alios homines. Sicut enim Christus constat ex duabus naturis, diuina videlicet, & humana, ita negare non potest, quin & alij homines constent suo quodam modo, ex his duabus naturis, idq; inseparabiliter. Homo enim, quisquis is fuerit, dum manserit homo, & non redigatur in nihilum, ea est conditione, vt humana eius natura, à diuina nunq; deseratur ac separetur. Si enim Deus implet cœlum & terram, quomodo non impleret etiam hominem quemuis? Deus, inquit Paulus, non longè abest ab vnoquoquo nostrum. In ipso enim & viuimus, & mouemur, & sumus. Habes igitur in quouis homine vtranq; naturam, diuinam videlicet, omnia implentem, & humanam, à diuina sustentatam & conseruatam. Hoc certè non est oscitanter considerandum. Postq; enim sermo nobis de vnione duarum naturarum in Christo, institutus est, inuestigamus in præsentia, verum & proprium discrimen, et specificam (vt Dialectici loquuntur) differentiam, inter Christum & alios homines. In hoc igitur proposito, verè quidem dicitur, duas esse in Christo naturas, diuinam & humanam: easq; esse inter se, cùm distinctas, tum indissolubili nexu vnitas, non autem satis dicitur. Sic enim in quouis homine sunt duæ distinctæ naturæ, quæ vsq; adeo sibi sunt coniunctæ &

connexæ,

connexæ, vt humana absq; diuina, ne momento quidem temporis constare queat. Epistola ad Hebræos affirmat, quòd filius Dei assumpserit, non angelos, sed semen Abrahæ. Hinc rectè dicitur, quòd in incarnatione, diuina natura assumpserit humanam. Sed nisi explicueris, posset morosior quispiam vociferari, hoc commune esse cum omnibus hominibus. Dauid ait: Pater & mater derelinquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Nec de beneuolentia tantùm, qua Deus afflictum complectitur, dici potest, quòd Deus assumat hominem, verumetiam de essentia seu omnipotentia, qua Deus hominem creat, non absurdè dicitur, quòd Deus assumat hominem in conceptu suo, vt creet, viuificet, & conseruet eum. Tu possedisti (inquit) renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ. Quare opus erit applicatione, vt tandem rectè intelligamus, quid sibi velit incarnatio Christi: & quæ sit vera illa & indissolubilis duarum naturarũ vnio in Christo Domino nostro. Pergamus igitur. In Christo enim diuina & humana natura non sunt simplici & vulgari quodam modo indissolubiliter vnitæ, sicut in alijs hominibus, sed ita sunt vnitæ, vt vnam tantùm personam constituant. Hîc iam haberemus proprium discrimen, & specificam differentiam inter Christum & alios homines, nisi vanitate & deprauata interpretatione Cinglianorũ corrumperetur. Sentiunt enim, diuinam naturam in Christo, cum humana, in vnitate personę, ita vnitam, vt tamen interea humanitas eius, non solùm inanitione, verùm etiã exaltatione & ma-

ieſtate ſua in vno tantùm certo ſit loco, ſiue in terra, ſiue in cœlo: ſola autem diuinitas cœlum & terram impleat. Quid autẽ hoc aliud eſt, quàm ex Chriſto vulgarem facere hominem & ex vna perſona duas? Non ignoro, quãta contẽtione Cingliani negẽt, ſe ex Chriſto vel vulgarem hominem, vel duas perſonas facere. Sed aliud ſermo, aliud res ipſa loquitur. Nam ſi diuina natura in Chriſto non vniuit ſibi humanã propius & coniunctius, cꝫ vt relinquat eam maieſtate ſua, in vno certo loco, ipſa interim totũ vniuerſum implente, quid quæſo Chriſtus differt hac in parte à quouis alio homine? Siquidẽ & Petri humanitas in vno tantùm loco eſt, diuinitas autem, qua & impletur & ſuſtentatur, vbiqꝫ ſeſe diffundit: & eũ propter hanc cauſam, Petrus & Deus, ſeu filius Dei, qui eſt in Petro, ſint duæ diſtinctæ hypoſtaſes ſeu perſonæ, quomodo non etiã propter eandẽ cauſam filius Mariæ & filius Dei, qui eſt in filio Mariæ, duę fierẽt perſonæ? Quod ſi ratio vnitatis perſonæ in Chriſto nõ eo ſe extendit, vt diuinitas Chriſti vbiqꝫ habeat ſibi humanitatẽ, quã aſſumpſit coniunctam, & indiſſolubili nexu copulatã, quid aliud ſequeretur, quàm quòd Chriſtus in vno tantùm loco Deus eſſet & homo, in omnibus autem alijs ſolũmodo Deus? An non eſt hoc clarè, apertè & manifeſtè duas facere perſonas? Synodus Chalcedonẽſis, cuius decretũ in prioribus ſcriptis recitauimus, cõtinet in deſcriptione perſonæ Chriſti duas præcipuè partes, quarũ vna eſt, quòd duę naturæ, diuina & humana in Chriſto, ſint vna perſona, inconfuſè, immutabiliter,

tabiliter, indiuisè, inseparabiliter. Altera est, quòd propter hanc vnionẽ non auferantur, seu aboleantur proprietates naturarũ. Hæc certè ita sunt intelligẽda, nõ vt secum ipsa pugnent, nec vt altera pars alterã destruat, sed vt sibi probe constent & conueniant. Cingliani autẽ sic interpretantur, vt posterior pars reijciat & aboleat veram prioris partis sententiã. Dicunt enim: In Christo vna quæuis natura seruat suas proprietates saluas & inuiolatas. Proprietas autem humani corporis, est, in loco esse localiter: ac ne omnipotentia quidem Dei fieri potest, vt corpus humanũ non sit, salua sua substantia, in loco localiter. Quare duæ naturæ in Christo, non sunt personaliter, iuxta sententiam Cinglianorum, vnitæ, nisi in vno loco: In alijs autem omnibus locis, sola est diuinitas absq; humanitate. Hæc est falsa interpretatio, qua vera sententia de indiuisa & inseparabili vnitate personæ Christi destruitur. Nã cum Synodus Chalcedonensis dicit, in vnitate personæ Christi retineri proprietates naturarum saluas, non est intelligendũ de proprietatibus accidentarijs, sed tantùm de proprietatibus essentialibus, seu de ipsa naturarũ substãtia. Nusq;, inquit Synodus, sublata essentia naturarũ. In hac enim vnione, essentia seu substantia diuinitatis et humanitatis manet salua, incolumis & immutata. Quæ autem accidunt essentiæ humanitatis (quod genus est: esse mortalẽ, esse corruptibilem, esse album aut nigrũ, esse in loco, esse vestitum, & infinita alia) ea, vt sunt mutationi obnoxia, ita si auferuntur, non aboletur substantia,

ſtantia. Quare decretum Synodi Chalcedonenſis ſic eſt intelligendum, vt vtraq; eius pars maneat vera, et altera alteram non infirmet, ſed confirmet, videlicet, duas, diuinitatis & humanitatis, naturas ſeu ſubſtantias eſſe quidem inter ſe, inter ſe (inquam) ita diſtinctas, vt nulla earum in Chriſto vel in alteram mutetur, vel aboleatur: in perſona autem Chriſti, ita indiuisè & inſeparabiliter vnitas, vt nullis vnq; locis, nullis locorum ſpacijs, à ſe inuicem ſeparentur, & in duas perſonas diſtinguantur. Itaq; neceſſe eſt, vt vbicunq; fuerit diuinitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, ibi habeat ſecum aſſumptam ſuam humanitatẽ. Videtur quidẽ hoc pugnare cum proprietate humanæ naturæ; non autem pugnat cum eſſentiali ſeu ſubſtantiali, ſed tantùm cum accidentali eius proprietate: nec pugnat cũ omnipotentia & voluntate Dei. Poteſt enim Deus humanã ſubſtantiã ornare, qua & quanta vult gloria: et voluit (iuxta illud dictũ: verbum caro factum eſt) humanitatem, à ſe in vnam perſonam aſſumptam, omni cœleſti ſua maieſtate inſignire. Sic ergo duæ naturæ in Chriſto ſunt inter ſe diſtinctæ, vt tamen maneant in perſona Chriſti inſeparabiliter vnitæ: nec fieri poſsit, vt vbicunq; eſt diuinitas, ibi non ſit etiam humanitas eius. Sed conſideremus tandem, idq; non iuxta anguſtias humanarum artium, ſed iuxta maieſtatem cœleſtis doctrinæ, quàm latè vnio perſonalis, ſeu vnitas perſonæ in Chriſto pateat, & ſeſe, vt ita dicam, extendat: vt Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, cuius notitia vita eſt æterna, verè cognoſcamus,

ſcamus,& cœleſtem ſalutem reportemus. Quid enim profuerit ſemper in ore circumferre,ac vociferari, Deum & hominem vnam eſſe in Chriſto perſonam, aut filium Dei, cum filio hominis perſonaliter eſſe vnitũ: & interim vim horum verborum, aut ignorare, aut quod deteſtabilius eſt, negare? Cùm ergò dicitur, quòd Deus ſeu filius Dei aſſumpſerit, aut vniuerit ſibi hominem, ſeu filium hominis, perſonaliter, non id ſolùm ſignificatur, quòd Deus ſubſtantia ſeu eſſentia ſua exiſtat in homine, & conferat aliquot dona ſua in hominem, (ſic enim dici poſſet, quòd Deus vniuiſſet ſibi perſonaliter, non tantùm ſemen Abrahæ, aut filium Mariæ virginis, verumetiam quemuis hominem, imò, quamuis creaturam, implet enim cœlum & terram, & confert ſua peculiaria in quamuis creaturam dona,) Sed illud propriè ſignificatur, quòd Deus ita ſe coniungat, & vniat cum homine, vt in ipſum omnem ſuam maieſtatem conferat, nec eum vno tantùm & altero, aut etiam multis, ſed infinitis, adeoq; omnibus, omnibus (inquam) ſuis cœleſtibus ac diuinis donis ornet. Quod beneficium nulli alteri creaturæ, ac ne Angelicæ quidem, ſed ſoli ſemini Abrahæ, quod eſt Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, contigit. In arcano enim illo et imperſcrutabili, per Euangelium autem, pro ratione huius ſeculi, patefacto Dei patris & filij & ſpiritus ſancti conſilio, iam inde ab æterno conſtitutum eſt, vt filius Dei fieret in plenitudine temporis filius hominis, propter quem & angeli, & hic orbis, & humanum genus conderetur, & in quẽ omnis

D diuini-

diuinitatis maiestas conferretur. Non illud constitutum est, vt diuinitas mutaretur in humanitatem, nec vt humanitas mutaretur in diuinitatem, sed vt diuinitas effunderet omnia maiestatis suæ bona in humanitatem. Ecce virgo, inquit Esaias, concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius IMMANVEL, hoc est, nobiscum Deus. Quid hoc? An non, cum crearetur Adam, cùm nasceretur vel Abraham, vel Moses, vel Dauid, vel alius quispiam, aut Patriarcha aut Propheta, nobiscum erat Deus? Certè erat, implet enim cœlum & terram: & conferebat in Patriarchas ac Prophetas varia sua beneficia. Quid ergo noui factum est, quòd, cùm Christus nasceretur, homo vocatus sit Immanuel (hoc est) nobiscum Deus? Erat quidem, vt modò dicebamus, Deus semper in mũdo, erat cum Patriarchis ac Prophetis, ac ornabat eos multis admirandis donis: sed nullus eorum vocatus est Immanuel, propterea quòd in nullum alium, præterq̃ in hunc hominem, quem ex virgine assumpsit, omnem diuinitatis suæ thesaurum contulerit, & eò euexerit, vt non solũ vnà secum vbiuis esset, & omnia gubernaret, verùm etiam, vt quisquis hunc hominem videret, verum Deum videret, quisquis adoraret, verum Deum adoraret, & quisquis eo confideret, vero Deo confideret: vt verè dicatur Immanuel, primùm quidem et præcipuè ad illustrandam personæ ipsius conditionẽ, deinde etiam ad testificandam de nostra per ipsum salute certitudinem: non enim sibi tantùm sed etiã nobis verè est Immanuel, hoc est, nobiscum Deus, propterea

terea quòd effecerit, vt Deus sit nobis propitius, adoptet nos in filios, & faciat nos hæredes quidem suos, cohæredes autem Christi.

Omnia, inquit Psalm. subiecisti sub pedibus eius. *Psalm. 8.* Quæso te, non intuearis hoc Spiritus sancti oraculũ oscitanter. Primùm, hîc fit sermo de humanitate Christi, vt intelligas, non tantùm diuinitati, sed etiam humanitati Christi omnia esse subiecta, quẽadmodũ aliàs demonstratũ est. Deinde Psalmus nõ dicit, subiecta ei esse quædã, quædam non subiecta, sed OMNIA. Et exponit Epistola ad Hebræos: In eo, inquiens, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectũ ei, præ-
18 terq̃ seipsum, quemadmodum aliàs Paulus ait. *1. Cor. 15.*

Postremo addit: Sub pedibus eius, vt scias, omnia subiecta esse humanitati Christi, nõ absenti, sed presenti, & ita præsenti, vt pedibus ea cõtingat. Quòd si adhuc tergiuersaris, scias omnia sub pedibus eius ita subiecta, vt etiam ei sint in manus tradita. Pater, inquit Baptista, diligit filium, & omnia dedit in manu eius. *Ioan. 3.* Si filius omnia habet, & sub pedibus, & in manu, certè non absens, sed præsens sit, necesse est. Non affingo vel diuinitati vel humanitati filij Dei, tam longos pedes, & tam latas manus, vt extendat & porrigat eas, velut Briareus quispiam, mundano, corporali & crasso modo, ad extrema vsque cœli & terræ: sed doceo, quòd quæ sunt ei subiecta, & in potestatem eius tradita, ea tam diuinitate quàm humanitate sua coràm præsens gubernet & conseruet. Non enim dubium est, quin cùm acceperit à Deo patre

ſuo regnum & imperium omnium rerum cœleſtium, terreſtrium & infernorum, non alio modo, alia ratione hoc gubernet, q̃ Deus pater eius. Amen, amen, dico vobis (inquit) non poteſt filius à ſe facere quicq̃, niſi quod viderit patrem facientem. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc eadem & filius facit. Manifeſtum autem eſt, quòd Deus pater omnia gubernet, non abſens, ſed præſens, non longè diſtans, ſed propè aſtans. Deus (inquit) non eſt Dominus tantùm montium, ſed & vallium. Et iterum: Si aſcendero in cœlum, illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Ac rurſus: Putas ne Deus è vicino ego ſum, dicit Dñs, et non Deus de longè? Si occultabitur vir, & ego non videbo eum? Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Et iterum: Deus non longè abeſt ab vnoquoquo noſtrùm. in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. Quare cũ Deus pater tradiderit regnũ ſuum, quod coràm præſentiſsimus gubernat, in manu humanitatis (diuinitate enim ſua habuit ab æterno) filij ſui, manifeſtum eſt, quòd filius gubernet illud, non tantùm diuinitate, ſed etiam humanitate ſua præſentiſsimus.

Ioan. 5.

3. Reg. 20.

Antecq̃ autem progrediar, & ad obiecta Cinglianorum reſpondeam, viſum eſt alterũ è ſcriptis Apoſtolicis oraculum recitare. Chriſtus enim, cùm amandaret Apoſtolos ſuos in vniuerſum orbem: Data eſt, inquit, mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Notũ quidem dictum, & ſæpè in hac cauſa à nobis repetitũ: ſed aduerſarijs non videtur tanti momenti, vt operam ſuam in eo expendendo diligentius collocent. Initiò enim,

enim, cùm Christus dicit: DATA est, idcò MIHI, manifestè loquitur de sua humanitate: & sentit, omnẽ potestatem suæ humanitati datam. Quod enim ad æternam eius diuinitatem attinet, habet omnem potestatem, non in plenitudine temporis datam, sed ab æterno, vt ita dicam, cognatam aut possessam. Christus inquit (Cyrillus) omnia possidet, vt Deus, omnia recipit, vt homo. Quod igitur ad humanitatem attinet, data est ei tùm primùm, cùm homo cõciperetur. Vnde & aliàs dicit. Pater dedit filio omne iudicium. Et paulò post exponens, addit: Dedit ei potestatem iudicandi, QVIA FILIVS HOMINIS est, respiciens videlicet in Danielem, apud quem, filius hominis peruenit vsq; ad antiquum dierum, qui dat ei potestatem, honorem & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ seruient ipsi. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Deinde Christus filius hominis, non simpliciter ait: Data est mihi potestas: sed omnis, OMNIS (inquam) potestas mihi data est. Quid autem est omnis potestas, nisi OMNIPOTENTIA? & quid est omnipotentia, nisi omnis potestas? Considera nunc mihi, quid sentiendum sit de his, qui negant Christo homini datam esse omnipotentiam. Sed de his postea.

Dan. 7.

Postremò non simpliciter dicit, in cœlo, nec tantùm, in terra, sed tam in cœlo quàm in terra. Quid autem est OMNIS in cœlo & in terra potestas, nisi potestas infinita? Quare manifestũ est, humanitati Christi datam esse omnipotentiam, & infinitam potesta-

tem. Quid autem maiestatis non contineretur nomine omnipotentię? Huc enim pertinent, quę Dñs apud Esaiam dicit. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderat? Quis appẽdit tribus digitis molem terræ, & librat in pondere mõtes, & colles in statera? Huc etiã pertinet, quod Paulꝰ semel & iterũ, (ne quis existimet oscitanti excidisse) dicit, Christũ exaltatum super omne nomen, & donatũ esse nomine super omne nomen. Et quod est illud nomen? certè nõ est creaturæ, sed creatoris, non est angeli, sed Dei. Donatũ est igitur homini Christo, vt vocetur nomine Dei. Quid ergò? Nũ nomen tãtùm, & nõ res ipsa deitatis est ipsi cõmunicata? Nihil minus. Spiritus sanctus non imponit rebus vana nomina: Vocabitur, inquit, filius altissimi, Non est inane vocabulum, sed erit reuera filius altissimi. Vocabis nomen eius Ihesus, Non est inane nomen, sed res ipsa, quia saluat populum suum à peccatis suis. Cùm igitur donatũ sit Christo, homini, non tantùm, vt vocetur, sed etiam vt sit Deus, Deus autẽ omnem habeat potentiã, & omnia præsens gubernet, manifestũ est, quòd & homo Christus sit omnipotẽs, & vbiuis coràm potentissimè regnet. Hîc nũc cooriuntur in nos toto impetu Cingliani, & sublata voce exclamant. An non hoc est humanitatẽ mutare in diuinitatem? An nõ tantam maiestatem tribuere humanitati, est naturã & proprietatẽ eius abolere, ac prorsus annihilare? An non hoc est ex re finita facere infinitam? Synodus Chalcedonensis affirmat quidẽ duas naturas in Christo esse indiuisas & inseparabiles. Sed addit,

Omne nomen, id est creaturæ, non creatoris.

addit: Nuſq; ſublata eſſentia naturarũ propter vnionem, magisq; ſalua proprietate vtriuſq; naturæ. Quomodo aũt maneret ſalua proprietas humanitatis, ſi in tantam diuinitatis maieſtatem euehatur? An non hoc eſt hæreſin Eutychianam, iamdudũ tenebris obuolutam in lucem reuocare? An non hoc eſt Suuencofeldij vanitatem approbare? Fatemur quidem humanitatem Chriſti capacẽ eſſe maximorum donorũ Dei: ſed cõferre in eam, omnem diuinam maieſtatem, hoc demum ſcelus eſt omnibus ſeculis inauditum, & vniuerſæ tam vetuſtati quàm nouitati ignotum. O cœlũ, ò terra, ò maria Neptuni. Quis ad tam horrendum errorem, & ad tantam impietatem non toto corpore contremiſceret? Talibus vociferationibus Cingliani orbẽ complent, & omnium aures obtundunt, quibus tamen nihil aliud faciunt, quàm quòd virulentiam animi ſui erga maieſtatem Chriſti prodant, & ſua ipſorum ſomnia, figmenta, mendacia & calumnias deteſtentur & refutent. Ego in ſcriptis meis toties teſtatus ſum, me nec diuinitatẽ Chriſti mutare in humanitatem, nec humanitatem eius in diuinitatẽ: ſed ſeruare vtranq; naturam in Chriſto ſaluam & inuiolatam, vt hac Cinglianorum accuſatione nihil ſit impudentius. Adhæc, cum amarulentum Cinglianorũ ingenium non ſit mihi ignotum, ſoleo hanc rem tam diligẽter, data quauis occaſione, repetere & inculcare, vt Cingliani ipſi vocauerint coccyſinum. Bullingerus ipſe aliquoties hæc mea verba commemorat: & tamẽ tam perfricta eſt fronte, vt audeat me Eutychianiſmi

& Suuen-

& Suuencofeldianiſmi coram vniuerſa eccleſia accuſa- 50
re. Quid eſt proiecta impudentia, ſi hæc non eſt? Eutyches ſenſit, ſicut veterum ſcripta tradunt, vnam tantùm naturam in Chriſto. Ego, propicio Deo, tam abſum ab hac impietate, quàm Cingliani abſunt à vera pietate. Suuencofeldius ſcripſit, Chriſtum hominem, ſeu carnem Chriſti, non eſſe creaturam. Nouit autem Suuencofeldius ipſe, me hanc ſuam phantaſiam ita deteſtari, vt ferè aduerſus nullum hominem, quàm contra me, virulentius ſcripſerit: & tamen non poſſum à Sycophantarum morſu tutus eſſe. Quid ergo facias? quid dicas? quid ſcribas? Hoc certè eſt in medio luporum verſari, & inter ſcorpiones habitare. Non tamen grauabor iterum quædam de hac re dicere, non quòd ſperem Cinglianorum dogmatiſtas placatos forè, & calumniandi ingenium mutaturos, ſed vt noſtri, meam (hoc eſt) orthodoxam ſententiã, clarius intelligant. Nam Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter, etſi vnà tantùm eſt perſona, duabus tamen naturis, diuina videlicet & humana, conſtat, quæ in hac vna perſona inſeparabiliter quidem ſunt vnitæ, ſed ita, vt vnaquæq; ſuam proprietatem ſaluam retineat, quemadmodum paulò antè dicebamus. In hac aũt locutione nomen proprietatis intelligendum eſt, non pro inhærentibus accidentarijs, ſed pro ipſa ſeu eſſentia ſeu ſubſtantia, aut pro proprietatibus ſubſtantialibus. Ac de diuina quidem natura manifeſtũ eſt, quòd ſiue vniatur cum homine, ſiue per ſe conſideretur, nunc̃p in æternum mutetur, ſed ſemper & perpetuo

ſeruet

seruet suam essentiam inuiolatam, nec quicq̃ est in ea aduentitium, Omnia enim in Deo sunt essentia ipsa. Ego Deus, inquit, & non mutor. Et iterum: Tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanebis. Et: Tu idem ipse es, & anni tui non deficient. Humana autem natura duplicem habet considerationẽ. Vna est secundum suam substantiam, seu essentiam, qua constat ex corpore & anima ratione prædita. Hæc etsi per se est mutationi obnoxia, posset enim in nihilum redigi, tamen assumpta in Christo à diuina substantia in vnitatem personæ, nunq̃, in æternum, nec in diuinam substantiam mutatur, nec in nihilũ redit, sed manet semper salua & incolumis. Et quanq̃ in morte Christi, anima triduo non exercuerit suas actiones in corpore, tamen interea nec anima nec corpus perierunt. Nõ dabis, inquit, vt sanctus tuus videat corruptionem. Alia consideratio est secundũ accidentarias suas proprietates, & conditiones huius mundi, quæ vt sunt mutabiles, ita siue adsint humanæ substantiæ, siue absint ab ea, nihil derogant essentiæ. Siue enim homini abstuleris longitudinem, siue albedinem, siue vestem, & dederis ei breuitatem, nigredinem, aut reliqueris nudũ, nihil de substantia seu essentia eius peribit. Quid autem sibi hæc volunt, aut quorsum spectant? Non reiicantur ociosè, Volui enim significare, quòd etsi in personali vnione duarum naturarum in Christo, humanitas accipiat dona diuinitatis, non tamen aut annihiletur, aut in diuinitatẽ mutetur. Inhærentia enim

siue adsint siue absint, non mutant essentiam. Et quia in hac vnione diuinitas assumit humanitatem, non autem humanitas diuinitatem, idcircò illa huic nihil imbecillitatis confert: hæc autem confert illi, manente interim essentia eius inuiolata, omnem suam gloriam, et ornat eam omni cœlesti ac diuina sua maiestate. Caro, inquit Cyrillus, nõ ad corruptibilem suã naturam iunctum Dei verbum detraxit, sed ad melioris virtutem eleuata est. Sed sic ornare, sic eleuare (exclamant Cingliani) humanitatem, est eam prorsus tollere & abolere. Neq; enim humanitas capax est tantæ maiestatis. Et qui tantam gloriam in ipsam confert, fieri non potest, quin sentiat, humanitatem mutari in diuinitatẽ: et faciat vnã tantùm naturã in Christo reliquã.

Status controuersiæ.

Hîc iam versamur in proprio huius controuersiæ statu. Nũ Incarnatio Christi seu Vnio personalis eò se extendat, vt filius Dei effuderit in filium hominis omnem suam maiestatem, videlicet, omnipotentiam, omniscientiam, omnisapientiam, omniiustitiã, omnipræsentiam & omnifœlicitatem? Et num humanitas Christi sit tantæ maiestatis ità capax, vt si eã aceperit, mutetur in diuinitatem, aut prorsus aboleatur? Ego verò quid de hac re sit respondendum, edoctus sum propitio Deo, nõ in scola philosophica aut Mathematica, in qua suæ sunt definitæ rerum dimensiones: sed in schola Prophetica, & Apostolica, in qua sola indefinita & immẽsa maiestas Domini nostri Iesu Christi, verè ac rectè illustratur. Affirmo igitur, personalem duarum naturarum vnionem in Christo, tam latè patere

tere, vt diuinitas non vnam tantùm & alteram partem ſuæ maieſtatis, ſed omnem ſuam maieſtatem in humanitatem Chriſti conferat: quod rectè Communicatio idiomatum, hoc eſt, proprietatum, vocatur. Nego autem, & iterum nego, adeoq; pernego, quòd humanitas Chriſti, hac communicatione, aut mutetur in diuinitatem, aut prorſus aboleatur. Affirmo item, quòd humanitas Chriſti, etſi ſua natura, & iuxta conditionem huius mundi, finita eſt, tamen capax ſit infinitæ maieſtatis Dei: & quòd hac capacitate in tantum non aboleatur, vt potius perficiatur & exornetur. Ac rectè quidem dicitur, humanam Chriſti naturam non plus accipere, quàm ſit capax. Affirmo autem, eam eſſe capacem infinitæ maieſtatis Dei, & tamen retinere interim veritatem ſuæ eſſentiæ. Hoc, cum in priori ſcripto perſpicuè explicuerim, & manifeſtis ſcripturæ teſtimonijs munierim, tamen meus antagoniſta tam athletico animo eſt, vt ea fortiter tranſiliat, & aliò ſe proripiat. Quid enim faceret? Tonitrua ſunt cœleſtia, ad quæ neceſſe habet omnis Cinglianorum impietas toto pectore cohorreſcere. Perſtringamus igitur ea iterum, & addamus, quæ ad confirmationem eorū faciunt: vt tàm veritatem, quàm capacitatem humanæ naturæ in Chriſto copioſius oſtēdamus. Paulò antè produximus in medium duo teſtimonia, quorum alterum eſt Propheticum: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: alterū Apoſtolicum: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Omnia autem habere ſibi ſubiecta, omnem ha-

bere potestatem in cœlo & in terra, est esse omnipotentem, & infinitam, ac immẽsam habere potestatem. Et tamen vniuersa scriptura docet, Christum verum esse hominem, & veritatem humanæ essentiæ perpetuò retinere. Quid igitur aliud reliquum est, quàm quòd homo Christus, qui est natura sua pro huius mundi conditione finitus, sit capax infinitæ potentiæ? Quæris: QVOMODO fieri potest, vt res finita possit fieri capax rei infinitæ? Respondeo, quod Cyrillus de Iudæis, quærentibus: Quomodo potest hîc nobis dare carnem suam ad manducandum? scribit: Iudaicum, inquiens, hoc verbum (QVOMODO) est, & supplicij extremi causa. Ideo Nicodemus etiam cùm diceret: Quomodo hæc fieri possunt? meritò audiuit: Tu es magister in Israël, et hęc ignoras? Aliorũ igitur culpa edocti, cùm Deus operatur, non quæramus, QVOMODO, sed operis sui viam atq; scientiam illi soli concedamus. Qui ergò negant, hominem Christum esse capacem omnipotentiæ, hoc est, infinitæ potentiæ, nõ solùm negant cœlestia illa de Christo oracula: Omnia subiecisti sub pedibus eius, &: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, verumetiam eo ipso, quo non sinunt Christum esse hominem omnipotentem, affirmant, eum esse hominem impotentem. Et quanq; videntur ei tribuere multipotentiam, tamen hæc, si conferas ad Dei omnipotentiam, non est nisi impotentia, vt quocunq; sese verterint, faciant ex Christo, hominem impotentem. Vides quanta impietas in Cingliano dogmate hæreat. Apud Esaiam de

maiestate

maieſtate humanitatis Chriſti dicitur : Egredietur virga de radice Iſai, & flos de radice eius aſcendet, Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Hoc Baptiſta apud Euangeliſtam exponens, Deus (inquit) nõ dat ſpiritum ad menſuram. Et Paulus: In quo (inquit) ſunt oẽs theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Accipere autem ſpiritũ non ad menſuram, eſt accipere immenſa & infinita dona ſpiritus. Et habere omnes ſapientiæ theſauros reconditos, eſt habere infinitam ſapientiã. Quis nunc eſt tanta impudẽtia, qui neget, Chriſtum, finita humanitatis ſuę ſubſtantia, capacem eſſe infinitorum donorũ ſpiritus? Adijciamus & illud, de viuificatione carnis Chriſti. Non eſt dubiũ, quin cùm Chriſtus de carne & ſanguine ſuo dicit: Qui edit meam carnem, & bibit meũ ſanguinem, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die, ſentiat, carnem & ſanguinem ſuum eſſe viuifica. Huc facit etiam, quod Paulus ad Corinthios ſcribens: Factus eſt, inquit, primus homo Adam in animam viuentem, extremus Adam in ſpiritum viuificantem. Primus enim homo, ex ſpiritu & corpore conſtans, viuit tantùm, ſed alijs vitam præſtare non poteſt. Alter verò, non modo carne & ſpiritu ſuo viuit, ſed etiam carne ſua, ex vnione perſonali cum verbo, viuifica facta, etiam alios viuificare poteſt. Quod vt rectius intelligatur, viſum eſt illud non meis, ſed Cyrilli verbis exponere. Cùm enim

Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 29.

Cyrillus explicaret illud Christi: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicq̃, addit. Non imperitè, inquiens, omnino viuificã carnem esse negatis. Nã si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indigeat. Cùm verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantẽ in carne cognoueritis, cuius nihil penitus caro per seipsam possit, viuificam tamen esse factã credetis: nisi etiam spiritum sanctum non posse viuificare contendatis. Nã quoniã cũ viuificante verbo caro cõiuncta est, TOTA est effecta viuifica. Nõ enim ad corruptibilem suam naturã iunctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia TOTAM verbi operationẽ susceperit. Corpus enim est, nõ cuiusuis hominis, cuius caro prodesse nihil quicq̃ potest (non enim Pauli aut Petri aut cæterorum) sed ipsius vitæ, & saluatoris nostri Iesu Christi corpus, in quo Deitatis plenitudo CORPORALITER habitat, facere hoc potest. Nã si mel, cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur, nonnè stultum erit, viuificam verbi naturam, putare non dedisse homini, in quo habitat, viuificandi virtutem? Quas ob res caro quidem cæterorum omnium quicquàm verè non prodest: caro autem Christi, quia in ipsa filius Dei vnigenitus habitat, SOLA viuificare potest. Et paulò antè. Mire (inquit) statim incipiens Euangelista clamauit: Verbum caro factum est. Non enim in carnem ipsum venisse, sed vt

Cap. 15.

mirabilem

mirabilem vnionem oſtenderet, carnem factum eſſe, dicere non dubitauit. Nec tamen, quoniam ita dictum eſt, aut verbum Dei in naturam carnis mutatum, aut hominem in naturam verbi transformatum eſſe credimus. Manet enim inuiolata vtraq; natura, & vnus ex vtriſq; Chriſtus eſt. Sed ineffabiliter, & vltrà quàm poſsit mens humana intelligere, Verbum humanitati coniunctum, TOTAM in ſe ipſum ita reduxit, vt indigentia vitę poſsit viuificare. Hactenus verba Cyrilli. Hìc apertè ex verbis Chriſti docet, quòd vi uifica natura verbi, dederit homini, in quo habitat, virtutem viuificandi: & quòd caro Chriſti non modicam, ſed TOTAM viuificandi virtutem, ex verbo, cũ quo ſummè cõiuncta fuit, hauſerit: Et totã in ſeipſum ita reduxerit, vt indigentia vitæ poſsit viuificare. Si autem caro Chriſti hauſit ex verbo TOTAM vim (quæ eſt infinita) viuificandi, negari non poteſt, quin hauſerit etiam ex eo infinitam potentiam & præſentiam. Nam de nihilo ad eſſe, ſeu de morte ad vitam, eſt infinitum & interminabile ſpacium, aut interuallum. Ad hoc autem ſpacium permeandum, & aliquid de nihilo ad eſſe producendum, aut è morte ad vitam reducendum, & in vita conſeruandum, opus eſt infinita potentia & præſentia. Quare, ſicut caro Chriſti facta eſt capax infinitæ virtutis viuificandi, ità & facta eſt capax infinitæ potentiæ & præſentiæ. Dicamus etiam de regno Chriſti. Non dubium eſt, quin Deus collocauerit hominem CHRISTVM in cœleſti regno, & fecerit eum regem regum,

regum, & dominum dominantium. Hoc autem regnum, vt est infinitæ amplitudinis, ita etiam est infinitæ durationis. Multiplicabitur, inquit Esaias, imperium eius, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iusticia, à modo & vsq; in sempiternum. Et additur: Zelus Domini Zebaoth faciet hoc: vt intelligas, quòd etsi natura rerum non fert, vt finita regis substantia sit capax infiniti regni, tamen hoc queat zelo Domini Zebaoth facillimè fieri. Vides igitur, quòd in Philosophia quidem Cinglianorum, nulla sit proportio finiti ad infinitum: in Theologia autẽ spiritus sancti, tanta est inter ea proportio, vt verbum infinitum fiat caro finita, hoc est, vt Deus fiat homo, & homo Deus. Ideoq; quisquis negauerit hominem esse capacem infinitæ potentiæ, infinitorum donorum spiritus, infinitæ virtutis viuificandi, & infiniti regni, is reuera negat (etiamsi ore suo multùm reclamauerit) incarnationem Dei, & personalem Dei ac hominis vnionem: hoc est, negat Christum hominem esse Deum. Et quid? An non remittere peccata infinitæ est potentiæ? At hoc communicatum esse finitæ humanitati Christi, non est, nisi planè impius, & ἄθεος, qui negare possit. Vt sciatis, inquit Christus, quòd potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralitico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuã. Non ignoro Apostolis quoq; datam esse potestatẽ remittendi peccata: non autem suo, sed Christi nomine. Et

quod

quod ipſi acceperunt miniſterio & gratia, hoc habet Chriſtus homo, authoritate & natura, hoc eſt, iam inde à conceptione & natiuitate ſua. Petrus ad Claudĩ ait: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni (non ait, in nomine meo) ſurge & ambula. Et Paulus ad ſpiritum Pythonis: Præcipio, inquit, tibi, per nomen Ieſu Chriſti (non ait, per nomen meum) vt exeas à puella. Sed de hac re poſtea fortaſsis ſuo loco plura. In præſentia autem ſatis fuerit demonſtrare, quòd etſi filius hominis in Chriſto, natura ſua, finitus eſt, tamẽ fuerit propter perſonalem vnionem cum filio Dei, capax infinitæ poteſtatis remittendi peccata. Hîc dicet Cinglianus: Audio quidẽ teſtimonia de omnipotentia humanitatis Chriſti: nondum autem quicq̃, aut pauca admodum diuinorum teſtimoniorum audiui, de omnipræſentia, ſeu (quo vocabulo Cingliani delectantur) de vbiquitate eius. Fieri enim non poteſt, vt ſubſtantia finita, qualis eſt humanitas Chriſti, queat, ſalua eſſentia ſua, extendi in infinitum: & perindè eſſe vbiq̃, ſicut Deus eſt. Dogma igitur de vbiquitate nouum eſt, & hactenus inauditũ, ac vniuerſæ vetuſtati ignotũ. Hac vociferatione impleti ſunt Cinglianorũ libri: nec dubitant, quin inculcatione vocabuli vbiquitatis, reddant impiam ſuam cauſſam apud rerum imperitos maximè plauſibilem, noſtram autem piam, odioſiſsimam: Quo ſatanico artificio plurimùm valent. Sed lacum aperiunt ac effodiunt, & incidunt in foueam, quam faciunt. Primùm enim, fateor quidem libenter, quòd hæc literæ & ſyllabæ (HVMANITAS CHRISTI

EST VBIQVE) nõ contineantur hoc ordine, et cõtextu in Propheticis et Apoſtolicis ſcriptis. Sed quòd in his ſcriptis nõ contineatur vera huius dicti ſententia, hoc tàm verum eſt, quàm verum eſt, Cinglianorum dogmatiſtas eſſe bonos & candidos viros. Deinde, non ego ſum vel inuentor, vel author dogmatis de vbiquitate, Sed ante multos annos docuit D. Lutherus, fœlicis memorię, publicis ſcriptis, ac propugnauit vſq; ad extremum vitæ ſuæ ſpiritum. Nec finxit ex ſe, ſed quo fuit pio & heroico ſpiritu, teſtimonijs cœleſtium oraculorum ita explicuit & muniuit, vt nullus eorum Theologorum (quod ego quidem ſciam) qui Auguſtanam confeſsionem agnoſcunt, ſe de illo, ſuperſtite adhuc Luthero, vel ſaltem dubitare ſignificauerit. Et quanq; Cinglius & gregales eius oppugnare conati ſunt, tamen magis ſuam imperitiam & impietatem prodiderunt, quàm veritatem expugnarunt. Cæterùm quàm ignotum fuerit hoc dogma Apoſtolicæ vetuſtati, mox, propitio Deo, ſuo loco demonſtrabitur. Poſtremò, illud ſemel iterum atq; iterum aduerſus omnes omnium Cinglianorum prætextus, tergiuerſationes, præſtigias, calumnias & mendacia, dictum & teſtatum volo, nec Lutherum, nec me, vllam talem vbiquitatem, qualem Cingliani fingunt, & nobis, ad captandum theatri ſui applauſum, virulenter adſcribunt, localem, extenſam, corporali modo dilatatam, & ampliatã, ſtatuere. Sic enim, nè Deus quidẽ ipſe vbiq; eſſe dicendus eſt. Sed illam, eamq; ſolam ſtatuimus, ac aſſertã volumus, quã & incarnatio Dñi

noſtri

noſtri Ieſu Chriſti tradit, & perſonalis diuinæ ac humanæ naturæ vnio in Chriſto exigit, & ſeſsio eius ad dextrã Dei patris ſui confirmat. Et quia filius hominis potuit eſſe capax, vt ſalua & incolumi eſſentia ſua aſſumeretur à filio Dei, & vniretur cum ipſo in vnã perſonam, atq; collocaretur ad dextram Dei patris ſui, idcirco nihil certius eſt, quàm quòd ſit etiã factus capax eius, quam nos affirmamus, omnipręſentię, ſeu, vt illi lquuntur (quanq; praue intelligunt) vbiquitatis. Quod vt clarè oſtendamus, libet hic iterum cõmonefacere pium lectorem, eorũ, quæ ſuprà de omnipotentia, humanitati Chriſti cõmunicata, diximus. Nam ſi filius Dei habet ſuam omnipotentiã cõmunem cũ filio hominis, quẽ in vnã perſonam aſſumpſit, nihil amplius aut vetat, aut impedit, quò minus habeat etiam cum ipſo communẽ omnipręſentiam ſuam. Et ſi filius hominis factus eſt, ex aſſumptione humanitatis ipſius in Deum, inuiolata ſua eſſentia, capax omnipotentiæ Dei, quemadmodũ ſuprà perſpicuè probauimus, quomodo non etiã factus eſſet capax, ſalua humanitatis natura, omnipræſentiæ? Ex omnipotentia enim pendet omnipræſentia: ac niſi Deus ipſe eſſet omnipotens, nõ poſſet eſſe omnipræſens. Leuate, inquit Dñs apud Eſaiã, in excelſum oculos veſtros, & videte. Quis creauit hæc? qui educit in numero militiã eorũ, & oẽs ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisq; eius, neq; vnũ reliquũ fuit. Habes omnipotentiã Dei. Audi nũc etiã omnipræſentiã, quæ ſuã ex omnipotentia originẽ habet. Quare ergò (inquit) dicis Iacob & loqueris Iſraël: Abſcõdita eſt via mea *Eſaiæ 40.*

à Domino, & à Deo meo iudicium meum transibit? Nunquid neſcis aut non audiſti, Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, & non deficiet, neq; laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Qui dat laſſo virtutem, & cui non ſunt vires, robur multiplicat. Habes omnipræſentiã Dei. Si enim via Iſraëlis non eſt ab ipſo abſcondita, et ſi dat laſſo virtutem, certè non tantùm omnipotens, ſed etiam omnipræſens ſit, neceſſe eſt, quod Pſalmus 138. copioſius exponit. Quare cum filius Dei in incarnatione contulerit in filium hominis omnipotentiam ſuam, negari non poteſt, quin etiam contulerit in eum omnipræſentiam ſuam, & euexerit ipſum in eam maieſtatem, qua omnia coràm præſens intuetur et gubernat. Deinde repeto & illud Ioannis Euangeliſtæ: Verbum caro factum eſt. Nam ſi non piget Cinglianos, Philoſophica ſua ſomnia de finito & infinito, & de menſura capacitatis identidem inculcare, cur nos pigeret cœleſtia ſpiritus ſancti oracula, ſemper nobis ob oculos ponere, ne quis nos per Philoſophiam & inanem deceptionẽ deprædetur? Eſt autem hoc dictum: Verbum caro factum eſt, omni obſeruatione dignum, & precioſius auro & topazio. Etſi enim in prioribus ſcriptis veram eius ſententiam pro virili expoſuimus, & ſuprà etiã nonnulla ad hanc rem pertinentia commemorauimus, tamen quia hic locus exigit, operepreciũ eſt, de ſententia eius iterum quædã dicere. Maximè ergo omniũ docet, quòd humanitas Chriſti non ſolùm ea ſit capacitate, vt facta ſit omnipotẽs, verum etiam,

etiam, vt facta sit omnipræsens. Si enim caro Christi facta est capax verbi, aut quod Græci dicunt, τοῦ λόγου, quî fieri potuisset, quòd nõ etiam facta esset capax omnipotentiæ & omnipræsentiæ? Negari enim non potest, quin verbum, seu λόγος, sit & omnipotens & omnipræsens. Quid igitur tergiuersaris? Reclamat Philosophia, reclamat etiam externus ipse sensus, qui manifestè videt, & palpat, carnem Christi in vno tantum loco esse. Quid hoc ad me, qui iam non in schola humanæ sapientiæ, sed in schola fidei versor: & cogitandum mihi est, nõ quid externus sensus, sed quid verbum Dei & spiritus sanctus doceat. At enim, inquies, non est huius dicti sententia, quòd verbum mutetur in carnem, aut caro mutetur in verbum: fateor et ipse, & iam antè sæpè testatus sum. Nihilominus tamen non possum à Sycophantis tutus esse, quò minus hæreseos accuser. Quæ est ergò vera eius sententia? certè non alia, quàm quæ à Propheticis ipsis & Apostolicis scriptis traditur: nec potest esse alia, quàm qua hoc dictum nulli hominum, præterq; vni & soli Iesu Christo Domino nostro competit, vt sit suum inter Christum & omnes alios homines discrimen: videlicet, quòd verbum caro factum est, nihil aliud significet, quàm quòd filius Dei, filiũ hominis ita assumpserit, vt effundat in eum, & communicet ipsi omnem suam maiestatem: adeoq; faciat eum (non tamen mutando, sed ornando substantiam eius) verum Deum, quo confidamus & perpetuò seruemur. Cùm igitur dicis: Verbum caro factum est, illud dicis, Aeternus fi-

filius Dei, assumendo carnem seu filium hominis ex Maria virgine, in vnam personam, nõ simpliciter implet eum, sicut alios homines: nec communicat ei tantùm aliquam maiestatis suæ partem, sicut alijs hominibus, Sed ita eum implet, vt communicet cum eo omnem suam potentiam, sapientiam, scientiam, fœlicitatem, & præsentiam. Nisi enim hæc sit sententia, non habebis inter Christum & alios homines discrimen. Sed age, conferamus inter se Iesum Christum, & Petrum Apostolum, sicut & alias contulimus Christum cum alijs hominibus: vt aduersarij excitarentur, ad demonstrandum verum discrimen inter nos & Christum: sed frustrà. Nos igitur nobis & nostris ista commemoremus. Quod ergo est inter Christum & Petrum discrimen? Vterq; enim est homo, & in vtroq; est Deus. Dicis, illud est discrimen, quòd Christus non tantùm sit homo, verumetiam Deus: Petrus autem tantùm sit homo, & non Deus. Recte. Sed vt melius, quæ dicis, intelligam, age recensea-mus, quæ habent inter se communia, & quæ peculiaria: vt cognoscamus, qua in re consistat discrimen. In Christo inhabitat diuinitas, eaq; tota secundum essentiam, potentiam & præsentiam. Sed & sic tota inhabitat in Petro. Vbicunq; enim est Deus, ibi totus est, quippe qui sit simplicissimus, nec diuidatur in partes, vt pars Dei sit in Petro, pars in Philippo, pars in Bartholomæo. Non potest igitur hac ratione inter Christum & Petrum discrimen esse, vt dicamus, Christum hominem esse Deum. Petrum autem

tem

tem non esse Deum. Deinde Christus ædidit multa miracula, sanauit leprosos, cæcis reddidit visum, paralyticos restituit sanitati, ambulauit super mare, sicut super aridam, denicq; excitauit mortuos. Sed ædidit etiam Petrus magna & multa miracula. Sanauit claudum iacentem ad templum, ambulauit super mare, restituit ægrotos sanitati vmbra corporis sui, adeocq; excitauit & ipse mortuos. Et ædidit hæc miracula potentia diuina: eaq; non longè absenti, sed omnino presenti, quemadmodum antea ostendimus. Non igitur ne hac quidem ratione discrimen est inter Christum & Petrum, vt dicamus, illum esse Deum, hunc autem non esse Deum. Præterea Christus vidit futura, sed & Petrus vidit futura, & vaticinatus est, sicut & multi Prophetæ, Vide Epistolam Petri, & Actor. cap. 5. Ergo nec hac ratione fit, vt Christus sit Deus, non autem Petrus. Adhæc, Christus mortuus & sepultus, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum. Sed & Petrus resurget à mortuis, & ascendet in cœlum, sicut Paulus ait: Rapiemur simul cum illis in nubibus, in occursum Domini. Et quod admirabilius est, Petrus iam corpore suo in puluerẽ redactus, & in myriades locorum dispersus, aut in formas rerum innumeras, interea dum mortuus iacuit, mutatus, resurget tãdem à morte, cùm Christus nondum putrefactus, sed membris adhuc integris à morte resurrexerit: vt illud in Petro penè admirabilius, q̃ hoc in Christo videatur. Dicis, Christus resurrexit

à morte,

à morte, ſua ipſius virtute, Petrus autem aliena. Imò, ſicut Chriſtus excitatus eſt diuina virtute, ita reſurget etiam Petrus diuina virtute: eaq; non abſenti, ſed omnino præſenti: nec minus ipſi, quàm Chriſto intimè præſenti, eaq; tota præſenti, quòd vbicunq; eſt diuinitas, ibi ſit tota. Quare ne hac quidem ratione dici poteſt, quòd Chriſtus, non autem Petrus, ſit Deus. Dicis, Chriſtum idcirco eſſe Deum, non Petrum, quòd natus ſit ex virgine, abſq; peccato: nec peccatũ vnquam fecerit. Sed ſi hac ratione conſtaret diſcrimẽ, tunc multò magis Adam eſſet Deus, & Eua Dea: quòd ille creatus ſit manibus Dei è pura terra, Eua autem è coſta viri, abſq; omni peccato. Quod certè mirabilius videtur, quàm quòd Chriſtus conceptus ſit è Spiritu ſancto, in muliere, virgine quidem, muliere tamen, ad generationem apta: cum limus terræ, ex quo Adam creatus eſt, non fuerit natura ſua ad generationem aptus. Poſtremò Chriſtus vidit abſentia, vidit & Petrus abſentia, Act. 5. ſicut et Elizæus. Quod ergò eſt diſcrimen inter Chriſtum & Petrum, vt ille dicatur et ſit Deus, & hic nec dicatur nec ſit Deus? Et quid eſt, quod de Chriſto dicitur: Verbum caro factum eſt, non autem de Petro: cum verbum, ſeu λόγος non minus ſua eſſentia, potentia, & præſentia, habitet in Petro quàm in homine Chriſto? Nec ſentiendum eſt, quòd homo Chriſtus, nihil amplius, præ Petro, ab inhabitatione verbi ſeu τοῦ λόγου, præter nudum Dei vocabulum reportet. Reliquum igitur eſt, quòd cùm Euangeliſta de Chriſto ſcribit: Verbum caro factum eſt,

eſt, non ſentiat, æternum filium Dei ſimpliciter habitare in filio hominis, quem ex Maria virgine aſſumpſit, ſed ita in eo habitare, vt euehat ipſum vnà ſecum in diuinam maieſtatem, & effundat in eum omnes ſuas proprietates: ſicut Deus exiſtens (inquit Cyrillus) natura, & ex Deo natus, propria facit humana, ita & homo factus, deitate dignum honorem & gloriam tanq̃ propriam habet. Adoratur enim non ſolùm ſuper terram, ſed & in cœlis. Itaq̃ diſcrimen Chriſti & Petri, non eſt ſumendum ſimpliciter ab inhabitatione filij Dei, ſed à communicatione proprietatum eius. Filius enim Dei, etſi ſua eſſentia implet Petrum, ſicut & hominem Chriſtum, non tamen communicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantùm nonnullas. Viuificat Petrum, conſeruat Petrum in vita, dat Petro poteſtatem ejciendi Dæmones, imò excitandi etiã mortuos. Interea autem non facit eum omnipotentem, omniſcientem, omniſapientem, omniiuſtum, & omnipræſentem. Filium verò hominis, aſſumptum ex Maria virgine, ornat, non aliquibus tantùm, ſed vniuerſis ſuis donis, & cõmunicat ipſi omnes ſuas proprietates. Tu quidem, Cingliane, ita aſtringis, quòd communicet ipſi eas tantùm proprietates, quarum capax eſt. Ego verò & paulò antè oſtendi, eum factum eſſe omnium Dei proprietatum, ſine vlla exceptione, capacem: & niſi eam habeat capacitatẽ, non eſſe diſcrimen inter Chriſtum & alios homines: nec verbũ potuiſſe fieri carnem. Quæ certè abſurdiora ſunt, & magis abominanda, quàm quæ pius animus admittere

queat. Huc facit etiam Augustinus. Fortè putat, inquiens, quispiam vestrum, fratres, quia homo ille susceptus à sapiẽtia Dei, æqualis erit cæteris hominibus, si in tuis membris multum distat inter caput & cætera membra. Certè omnia membra faciunt corpus vnum. Multùm tamen interest inter caput & cætera membra. Etenim in cæteris membris non sentis nisi tactu, tangendo sentis in cæteris membris: in capite autem & vides, & audis, & olfacis, & gustas, & tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cætera, quanta excellentia est capitis vniuersæ ecclesiæ, id est, illius hominis, quem voluit Deus mediatorem esse, inter Deum & homines? Et mox, Confirmatum est in Catholica fide, hominem illum, quem susceptit sapientia Dei, nihil minus habuisse, quàm cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ: quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quàm cæteri homines. Nam cæteri homines possunt dici participes verbi Dei, habentes verbum Dei: nullus autem eorum potest dici verbum Dei, quod dictum est illi, cui dictum est: Verbum caro factum est, etc. Hactenus Augustinus. Qui cùm docet omnes sensus esse in capite, perspicuè significat, omnem Dei maiestatem esse in humanitate Christi. Quòd autem illud dictum: Verbum caro factũ est, habeat eam sententiam, quam recitauimus, exponit Paulus, qui ad Colossenses scribens: In ipso, inquit, inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Hoc dictum sudes est in oculis Cinglianorũ, nec possunt lucẽ tanti splendoris

Coloss. 2.

doris ferre. Quare cùm obijcitur eis, aut conniuent, aut veterem coccyſmum ſuum nobis occinnunt: tantum eſſe deitatis in humanitate Chriſti, quantæ ſit capax: aut vocabulum deitatis exponunt pro fœlicitate. Qua varietate vulnus conſcientiæ ſuæ manifeſtè produnt. Sed his ſeu tergiuerſationibus, ſeu impoſturis poſſunt quidem incautum et oſcitantem lectorem, non autem veritatem opprimere. Primùm enim, manifeſtiſsimum eſt, quòd Paulus eo loco de Chriſto loquatur. Deinde manifeſtiſsimum eſt et illud, quòd loquatur ibi de humanitate Chriſti. In ipſo videlicet HOMINE Chriſto. In æterna enim deitate Chriſti, qua filius Dei, ſeu λόγος, vna eſt eſſentia cũ patre & ſpiritu ſancto, nõ dicitur habitare deitas, ſeu plenitudo deitatis: quid enim dictu abſurdius eſſet? Sed in humanitate Chriſti, rectè dicitur deitas habitare.

Præterea, non fit hîc ſermo de vulgari ſeu generali inhabitatione deitatis in homine: nam ſi hanc reſpexeris, plenitudo deitatis non minus inhabitat in Petro, quàm in Chriſto: quippe quòd deitas ſit res ſimpliciſsima, & vbicunq; fuerit (implet autem non Petrum tantùm, ſed & cœlum ac terram) ibi tota ſit & perfecta. Sed fit ſermo de inhabitatione perſonali, hoc eſt, de inhabitatione eius deitatis, quæ per filium Dei, ſeu τὸν λόγον, filio hominis communicatur. De hac ergo dicit Paulus, quòd in homine Chriſto inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter. Nõ ſimpliciter dicit, inhabitat in eo deitas, nec ſimpliciter dicit, plenitudo deitatis: ſed dicit, omnis, OMNIS, inquã

deitatis plenitudo. Et addit, CORPORALITER, hoc eſt, nõ vmbraliter, ſicut in alijs creaturis. Nulla n. eſt creatura tam abiecta, cui nõ cõmunicetur aliquid deitatis, et in qua Deus non adumbret quippiam ſuę maieſtatis ac proprietatis. In homine autem Chriſto non adumbratur aliqua tantùm pars deitatis, ſed deitas abſoluitur in eo perfectiſsimè, hoc eſt, communicatur ei omni ſua plenitudine. In omni autem & perfecta Dei plenitudine continetur non tantùm omnipotentia, verumetiam omniſapientia, omniſcientia, omniiuſtitia, omnifœlicitas, & omnipræſentia, quæ & vno omnipotentiæ nomine, ſicut ſuprà dictum eſt, comprehendi poſſunt. Reliquum igitur eſt, Paulum clarè, manifeſtè, perſpicuè, & ſine omni tergiuerſatione palàm ſentire, docere, & vrgere, quòd humanitas Chriſti, quæ eſt à Deitate in vnam perſonam aſſumpta, non ſolùm facta ſit capax omnipræſentiæ, verumetiam reipſa hanc maieſtatem verè poſsideat, & vnà cum verbo, ſeu λόγῳ, omnia coràm gubernet: vt iam minimè obſcurũ ſit, quòd illud dictũ Euangeliſtæ: Verbum caro factum eſt, intelligendũ ſit, interprete Paulo, verbum ſeu τὸν λόγον, qui eſt æternus filius Dei, euexiſſe & exaltaſſe carnem Chriſti, in incarnatione & aſſumptione eius, in tantam maieſtatem, vt ſit vnà cum ipſo omnipotens, & omnia tam cœleſtia, quàm terreſtria & inferna, præſens gubernet. Si enim humanitas Chriſti facta eſt capax omnis plenitudinis Deitatis, ſeu donorũ eius, corporaliter, quomodo non etiã caperet vnam & alteram plenitudinis eius partem?

Sed

Sed hoc est (inquit meus antagonista) creaturã mutare in creatorem, & humanitatem in deitatem. Cùm enim in priori scripto recitassem blasphema verba eius, videlicet: Si assumptus ille homo, euectus est supra omnes creaturas, desijt vtiq; esse creatura, Si autem creatura esse desijt, quomodo postea pro nobis pati & mori potuit? Ibi suauis homo, etsi intelligit se impie hallucinatum, tamen non dat honorem veritati: sed illud tantùm agit, vt quærat effugium, & tergiuersetur. Non nego, inquiens, necq; negaui vnq̃, Christum exaltatum esse super omnem (prout Paulus sentit) creaturam, et quòd sit verus Deus, nego autẽ, quod de suo subinde assuit aduersarius, assumptam videlicet in incarnatione humanam Christi naturam, ita esse exaltatam, vt extra omnes elata creaturas, iam infinita & vbiquaria sit facta. Humanitas enim Christi in vnione illa admirabili cum diuinitate, in sua natura, veritateq; permansit, & in diuinitatem non est permutata, &c. Atqui, bone scilicet vir, verba tua manifestiora sunt, quàm vt sinãt se hoc colore induci. Si, inquit, assumptus ille homo euectus est, supra omnes creaturas, desijt vtiq; esse creatura. Si autem creatura esse desijt, quomodo postea pro nobis pati & mori potuit? Hæc, inquam, sunt verba eius, quibus non negat tantùm, quod me de meo assuisse dicit (quanq̃ ego sententiam Pauli de exaltatione Christi simpliciter recitauerim, nec quicq̃ de meo assuerim) sed negat etiam rem ipsam: et, vt Dialectici loquuntur, non negat tantùm consequentiam, sed etiam antecedens.

Addit enim & distinguit ipse, si vltra & extra omnes creaturas euectus est (habes vnam partem, quam cõtinuò sequitur altera) Et vbicunq; diuinitas est, ibidem & humanitas est. Vides non negari tantùm à Bullingero, humanitatem esse vbicunq; fuerit diuinitas, verumetiam, humanitatem euectam esse supra omnem creaturam. Deinde falsum est, quòd humanitas Christi desinat esse creatura, aut mutetur in diuinitatem, si euehatur supra omnes creaturas. Quid enim stultius esset, q̃ sic argumentari: Cęsar euehitur maiestate sua super oẽs homines, ergò desinit esse homo? Nam & Archangelus finit humanitatem Christi esse creaturã, nec mutat eam in diuinitatẽ, cùm affirmat eũ concipiendum in vtero virginis, & nasciturũ ex virgine: & tamen euehit eũ super omnes creaturas, cùm vocat eum filium altissimi. Christus quoq; ipse finit suam humanitatem esse creaturam, & non mutat eam in diuinitatem, cùm vocat se filium hominis, & tamen euehit eam super omnes creaturas, cùm dicit: Data est mihi OMNIS potestas in cœlo & in terra. Similiter Paulus finit humanitatem Christi esse creaturam, & non mutat eam in diuinitatem, cùm dicit, eum in plenitudine temporis factum ex muliere, & factum sub lege: & tamen euehit eum super omnes creaturas, cùm ait: Ascendit super omnes cœlos, &: Dedit ei nomen super omne nomen, non solùm in hoc seculo, verumetiam in futuro. Falsum igitur est, quod Bullingerus euomit, humanitatem Christi desinere esse creaturam, aut mutari in diuinitatem, si euehatur

tur

tur ſuper omnes creaturas. Et ſcelerate nos accuſat, vel Eutychianiſmi vel Schuuencofeldianiſmi. Eutyches ſenſit, vnam tantùm eſſe naturam in Chriſto. Hæc impietas, nunquam, ne per ſomnium quidem mihi in mentem venit. Schuuencofeldius ſcribit humanitatem Chriſti non eſſe creaturam, quemadmodum & ſuprà attigimus. Hoc figmentũ tam deteſtor, quàm veritatem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, magna fide amplector. Et tamen Bullingerus tam proiectæ impudentiæ eſt, vt audeat corã vniuerſa eccleſia vociferari, me Schuuencofeldium etiã ſuperare. Hæc ſcilicet eſt Bullingeri modeſtia. Sed quid ſi ego ipſe Bullingerũ Schuencofeldianiſmi aperte conuincam? Age, faciamus periculum. Bullingeri axioma eſt. Si aſſumptus ille homo euectus eſt ſupra oẽs creaturas, deſinit vtiq; eſſe creatura. Hoc ſcribit, hoc affirmat, hoc defendit Bullingerus. Si aſſumptus, inquit, ille homo (libet enim τὸ καλὸν iterũ repetere) euectus eſt ſupra oẽs creaturas, deſinit vtiq; eſſe creatura: Pergamus. Manifeſtum aũt eſt, quòd aſſumptus homo euectus ſit ſuper oẽs creaturas. Hoc neceſſe habet Bullingerus fateri, ſi modò agnoſcit authoritatẽ Apoſtoli Pauli. Dicit enim Paulus, hunc aſſumptũ hominẽ eſſe exaltatũ in ſummã ſublimitatem ſuper omnẽ principatũ ac poteſtatẽ, & virtutẽ & dominiũ, & omne nomen, quod nominatur nõ ſolũ in ſeculo hoc, verumetiã in futuro. Hoc certè eſt euehi ſuper oẽs creaturas. Quid ergò ex axiomate Bullingeri ſequitur? Illud videlicet, hominẽ illũ aſſumptũ, iuxta Bullingerũ, deſinſſe eſſe creaturã.

Hoc

Hoc eſt Schuuencofeldij delyriũ. Delyrat igitur vnà cum Schuuencofeldio Bullingerus. Et verũ eſt, quod Pſalmus dicit: Incidit in foueam, quam fecit. Sed proſequar inſtitutum. Quærit à me Pyrgopolinices, ſatis pro imperio, vt ingenuè dicam: Chriſtus ne iuxta humanam naturam creatura ſit, an creatura non ſit. Quid ſibi hac quæſtione velit, cogitare non poſſum, niſi ſi iterum me pro ingenio ſuo, palàm obſcuritatis arguat, qui tot ſcriptis meis nondum apertè meã ſententiam, de humana in Chriſto natura, expoſuerim. Quid igitur toties repetitum illud, quo affirmo, diuinam & humanam naturam eſſe inter ſe diuerſiſsimas ſubſtantias, quippe quòd altera ſit ſpiritus creator, & infinitus ac immenſus, altera autẽ CORPOREA CREATVRA, finita & dimenſa? An hæc, & id genus alia nõ ſunt ſatis ingenua, clara, aperta & perſpicua? Quid ergò ſibi vult hæc aduerſarij inſolentia? Sed ait, ſe hãc locutionem (Chriſtus iuxta humanam naturam elatus eſt extra & ſupra omnem creaturam) aliter non poſſe intelligere, quàm humanitatem eius, quæ ſupra & extra omnes creaturas elata eſt, inter creaturas nõ amplius deputari. Si ergò non poteſt eam aliter intelligere, quàm commemorauit, agnoſcat ſe nondum, ne catechumenum quidem, non ſolùm Chriſtianæ doctrinæ, verumetiam ſcholaſticæ Dialecticæ. Admonui paulò antè lectorem, de illa argumentatione. Cæſar elatus eſt ſua maieſtate ſupra omnes homines. Nõ eſt igitur amplius homo. Admonui etiam de Archangeli, Chriſti & Pauli dictis, quibus humanitas

Chriſti

Christi probatur tam creatura quàm elata super omnes creaturas. Sed quia habeo catechumenum hebetiorem, quàm qui ista intelligat, non grauabor ea alijs, intellectu sanioribus, copiosius exponere. Credo enim, ideo & loquor clarè, affirmo ingenuè, asseuero apertè, quòd humana natura in Christo, sit vera creatura, & maneat perpetuò vera creatura: nihilominus tamen sit elata supra & extra oēs creaturas. Et econtra. Etiamsi sit supra & extra omnes creaturas elata, tamen sit & maneat perpetuò vera creatura. Quid amplius à me exigitur? illud nimirum, vt quod ingenuè dicitur, solidè comprobetur: idq; non è Philosophicis axiomatis, sed è cœlestibus oraculis. Etsi autem dedi in priori scripto mediocrem operam, vt ista disertè explicarem, & Bullingero, qui omnino obstinauit nō assentiri nihil satis est, tamen non pigebit, vel saltem ad nostrorum confirmationem, præcipua ex illis repetere: vt si Cinglianis omninò libet de his rebus scribere, respondeant, omissis superuacaneis, & non necessarijs, ad illa, quæ sunt vera huius causæ fundamenta. Ad Ephes. 1. Deus exercuit in Christo efficatiam roboris fortitudinis eius, quum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatū ac potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in seculo hoc, verumetiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia, ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Hic locus Pauli notiſsimus quidem eſt, ſed à multis parùm pro dignitate obſeruatur. Eſt autem deſcriptio & encomium maieſtatis, ad quam euectus eſt Chriſtus. Primùm enim non eſt dubium, quin Paulus loquatur de euectione humanitatis Chriſti, dicit enim, eum ſuſcitatum à mortuis: quod certè humanitati Chriſti competit. Deinde addit: Sedere fecit eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus, non dicit, collocauit eum in certo loco cœli Empyrei, quemadmodum Bullingerus nugatur. Falſum enim eſt, quòd dextera Dei, in hoc fidei noſtræ articulo: Sedet ad dextrã Dei patris omnipotentis, ſignificet certũ & circumſcriptũ in cœlo locum: ſed ſignificat omnipotentiam & maieſtatem Dei, quemadmodum aliàs copiosè demõſtratum eſt, & ſuo loco iterum, Deo volente, demõſtrabitur. Præterea ſubĳcit: In cœleſtibus. Quo vocabulo non intelligit loca, quę ſunt corporaliter ſupra nos, in cœlis corporeis, ſiue viſibilibus, ſiue inuiſibilibus. Etſi enim Chriſtus ſua diuinitate & humanitate omnia tã infera quàm ſupera gubernat, tamẽ hoc loco, in cœleſtibus, non intelligenda ſunt loca corporalia in cœlis corporalibus, ſed opponitur terreſtribus, vt ſit ſententia: Chriſtus collocatus eſt à Deo, ad dextrã ſuam, nõ pro more terreſtriũ regnorum, in quibus filius ſedet ad dextram patris corporali et terreſtri modo, in quibus etiã filius gubernat regnũ patris, aliquoties longè abſens, et per præfectos ac officiales. Chriſtus aũt collocatus eſt ad dextrã patris ſui, in cœleſtibus videlicet, vt præſit omnibus rebus, tam ſuperis, q; inferis, cœleſti modo,

ſti modo: nec abſit longè, ſed omnia coràm gubernet, viuificet & conſeruet, cœleſti ac diuina potentia. Et, vt Paulus nõ tantùm exponat, quid ſit ſedere ad dextram Dei, verumetiam ſummam maieſtatẽ humanitatis Chriſti illuſtret, addit, non ſimpliciter, ſuper principatum ac poteſtatem, ſed ſuper omnem, OMNEM, inquam, principatum ac poteſtatem, & virtutem & dominium. Nulla res eſt, habens vllum vel in hoc corporali & mundano, vel in altero ſpirituali & cœleſti ſeculo principatum, poteſtatem, virtutem & dominium, quæ non ſit ſubiecta homini Chriſto. Huc etiam pertinet quod Petrus ſcribit: Vt bona, inquit, cõſcientia benè reſpondeat apud Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei, profectus in cœlũ, ſubiectis ſibi angelis & poteſtatibus et virtutibus. Nõ illud vult Petrus, quòd Chriſtus ſedeat in corporali cœlo, & ad corporalem dextram Dei, ſed quòd ſuſceperit adminiſtrandũ cœleſte imperiũ, cœleſti potentia, & ſubiecerit ſibi omnẽ angelicã & humanã maieſtatẽ, vt ipſe ſua maieſtate OMNES ſuperet et excellat. 1. Pet. 3.

Cæterùm cùm Paulum, in illuſtrãda maieſtate humanitatis Chriſti, verba deficere inciperent, & tamen vt nihil de ea deterreret, addit: Super omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in ſeculo hoc, verumetiã in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedes eius. Et ad Philippenſes adhuc clarius: Donauit illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium ac terreſtrium, & inferorum: omnisq; lingua confiteatur, quòd Dñs ſit Ieſus Chriſtus ad gloriã

Dei patris. Quid de maiestate humanitatis Christi potest sublimius aut excellentius dici? Paulus etsi didicit in tertio cœlo & in paradiso maiestatem humanitatis Christi, tamen non inuenit vocabula, quibus eam pro dignitate explicet. Quare ait: Super OMNE nomen. Illud vult dicere: Maiestas hominis Christi tanta est, vt eã nulla, nec humana, nec Angelica vox satis digne exprimere possit. Dicam igitur breuiter, quantum possim vno & altero verbo: Euectus est super omnia, quæ vel in hoc seculo, vel in altero nominari queunt, vt omnia cœlestia, terrena, & inferna habeat sibi subiecta. Postremò, Christus elatus est humanitate sua super omnia, non solùm generali dominatione, & maiestate, verumetiam elatus est super ecclesiam suam, singulari quadam ratione in omnibus rebus. Etsi enim implet omnia in omnibus, & omnia sunt ei subiecta, tamen ecclesia subiecta est ipsi peculiari quodam modo, propterea quòd sit corpus & πλήρωμα, seu plenitudo eius, videlicet populus ille, quo vniuersum corpus, cuius ipse caput est, absoluitur. Et ad hãc Christi euectionem, & exaltationem conficiendam, vsus est Deus non simplici quodam, aut etiam mediocri robore, sed vsus est omni sua potentia, & virtute. Exercuit (inquit) efficatiam roboris, fortitudinis suæ, (hoc est) Deus in suscitando, & exaltando Christo domino nostro exercuit, quicquid habuit virium & potestatis. Quare fieri non potest, quin Christus sit elatus in summam gloriã, & maiestatem. Hunc Pauli ecum, visum est hîc copiosius percurrere, vt ostenderem,

derem, quòd etsi humanitas Christi est creatura, ac substantia finita, tamen facta sit capax infinitæ maiestatis, & euecta super omnes alias creaturas. Sed in personali (inquis) vnione duarum naturarũ in Christo, vnaquæq; natura seruat suas proprietates: nec fieri potest, vt finitum sit infinitum. Non grauatim, inquit Bullingerus, alioqui fatemur omnia ea esse Christo subiecta, quæ veritatem corporis eius, aut proprietatem naturæ humanæ assumptæ, non destruunt. Et mox. Assumpsit cum suis proprietatibus naturam humanam, quam nunquam deponit, vel sua proprietate spoliat. Respondeo quod sæpe, sed surdo, & excęcato respondi. Siquidem nomine naturæ intelligatur humana essentia aut substantia, omnino sentiendum est, quòd in Christo humana natura nunq; vel mutetur, vel tollatur, aut destruatur. Assumptus enim homo, suam semper substantiam, & essentiam ita seruat, vt nunq; mutetur in diuinam. Si autem naturæ nomine intelligas ea, quæ substantiæ inhærent, quæ & citra iacturam substantiæ adesse possunt, aut abesse, falsum est, quòd natura humana in Christo non sit mutationi obnoxia. Christus iuxta humanam suam naturã (hoc est) substantiæ inhærentia, in hoc seculo esurijt, sitijt, ambulauit de loco in locum, defatigatus est, contristatus est, doluit, fleuit, denicq; mortuus est. Hęc nunc mutata sunt, abolita sunt, sublata sunt. Fructus quidem harum passionum perpetuò manet: ipsæ autem passiones abierunt. Euectus enim in maiestatem suam non amplius nec esurit, nec sitit, nec moritur: ac ne

quidē mouetur amplius de loco in locū, niſi ſi quando ſeſe in hoc ſeculo conſpicuum reddere voluerit. Hæc enim omnia noſtræ, hoc eſt, humanæ ſunt imbecillitatis, non excellentiæ diuinæ maieſtatis, ad quam humanitas Chriſti nunc euecta eſt. Idem dicendū eſt de nomine proprietatis, quod dictum eſt de nomine naturæ. Si enim vocabulo proprietatis intelligas eſſentiā ipſam ſubſtantialē, nihil certius eſt, cꝫ quòd Chriſtus perpetuò ſeruet proprietatē humanæ naturæ: nec ea vnꝯcꝫ mutetur aut aboleatur. Si autem hoc nomine intellexeris conditiones humanæ ſubſtantiæ accidentarias, manifeſtū eſt, quòd ꝝs mutatis, non mutetur eſſentia ſeu ſubſtantia hominis. Sed iterum audio, fatemur ingenuè, ſuum eſſe diſcrimen inter ſubſtantias & proprietates: Interea autem monemus, inter proprietates prudenter eſſe diſcernendum: quòd aliæ ſunt eſſentiales, quibus abolitis, aboletur & ſubſtantia: aliæ autem ſunt accidentariæ. Immortalitas (inquit Bullingerus) ſplendor, claritas, pulchritudo ſumma, & alia huius generis, verum Chriſti corpus ornant, non deſtruunt. Immenſitas autem, & vbiquitas auferunt ſuam corpori proprietatem, vnde per ipſa non ornatur, ſed potius deperditur. Hactenus Bullingerus, quæ non tantùm ipſe, verumetiam vniuerſa factio eius vbiuis ferè inculcant. Ac ſiquidem nomine immenſitatis, & vbiquitatis, intelligunt immenſitatē, & vbiquitatem craſſam, corpoream, extenſam, in omnia loca corporali modo diffuſam, quibus cū obſecro pugnāt? quid vociferantur? Quis eſt, qui tribuit talē immenſi-

Bul. 134.

tatem:

sitatem et vbiquitatem corpori Christi? Ipse ego, quoties publicè & priuatim testatus sum, me à tali delyrio longe abhorrere? Nec vllum vnq̃ vel audiui vel legi, qui talem immensitatem, & vbiquitatem, aut Deo ipsi aut vlli creaturę eius affingat, et tribuat: nisi fortè Cinglianos ipsos in medium produxero, qui sentiunt suũ confictum cœlũ Empyreum esse, & corporeum, & tamen immensum. Hîc habes corporalẽ immensitatem. Et quid? Etiamsi diceremus corpus Christi esse vbiq; corporali modo, in hoc cœlo & terra extensum, num ideò faceremus immensum? quandoquidẽ ne hęc quidem corpora sunt immensa, sed suis terminis circumscripta. Visum autem est, quod antè dicebamus, virulentis hominibus, talem nobis et tàm crassam immensitatem, ac vbiquitatem affingere, vt faciant suam causam in suo theatro plausibiliorẽ, & detineant suos auditores in impia doctrina de absentia corporis & sanguinis Christi à cœna eius, et de fictitijs Christi ac sanctorum ambulationibus, & sessionibus in cœlo, quod somniant, Empyreo. Quare, cùm in hac controuersia pugnent cum suo ipsorum figmento, non cum nostra sententia, sinamus eos (siquidem ita ipsis libet) delitijs suę insaniæ frui. Si verò vocabulis immẽsitatis, infinitatis, & vbiquitatis intelligatur, quod in scriptis Prophetícis et Apostolicis, de incarnatione Christi, de assumptione humanitatis in Deũ, de sessione Christi ad dextrã Dei patris sui, et de exaltatione eius super oẽs creaturas, traditur, et credẽdũ exigitur: credim⁹ et cõfitemur, nos verã eius sententiã, quã ex Prophetícis & Apostolicis

licis ſcriptis iam ſæpè expoſuimus, modis omnibus
Fol. 143. amplecti. Quod ſi Bullingerus hanc vbiquitatem, vocat vbiquariam chimeram, nõ dubito, quin tantam blaſphemiã in verã maieſtatẽ Chriſti, nõ ſit impunè laturus. Etſi enim humanitas Chriſti eſt ſubſtantia creata, & iuxta ſuam naturã finita, ac dimẽſa, tamen oſtendimus iam dudum, & ſuprà iterum è dictis Propheticis & Apoſtolicis demonſtrauimus, quòd ea finita, & dimenſa ſubſtantia, facta ſit in incarnatione, capax infinitæ, & immenſæ maieſtatis: & euecta, atq; exaltata ad rerum omnium, ſiue in cœlo, ſiue in terra, gubernationem (hoc eſt) ad omnipotentiam, & omnipræſentiam. Omnia enim, OMNIA (inquam) cœleſtia, terreſtria, & inferna, rectè, conſtanter, & perpetuò gubernari nõ poſſunt, niſi omnipotenti, & omnipræſenti virtute. Adhæc nemo negare poteſt, quin homo ille aſſumptus, ſit exaltatus ad ſummam beatitudinem, pulchritudinem & fœlicitatem. Non eſſet autẽ ſummè beatus, ſummè pulcher, & ſummè fœlix, niſi etiam eſſet omnipotens, & omnipræſens. Tantum enim ſummæ beatitudini, pulchritudini & fœlicitati deeſt, quantum deeſt potentiæ: & tantum deeſt ſummæ potentiæ, quantum præſentiæ. Loco enim circumſcriptum eſſe, & de loco in locum ambulare, non eſt diuinæ excellentiæ, ſed corporeæ imbecillitatis: non eſt cœleſtis maieſtatis, ſed terrenæ paruitatis, non eſt ſpiritalis pulchritudinis, ſed carnalis (ſi quidem ad cœleſtem venuſtatem conferatur) deformitatis. Cùm igitur homo aſſumptus, ſit elatus in ſummam

maieſta-

maiestatem, qua non potest esse aut maior aut sublimior, necessarium est, quòd sit etiã elatus ad summam potentiã, quæ est omnipotentia: & ad summã altitudinem, quæ est omnipræsentia. Hoc illud est, quod vult incarnatio Christi, quod docet sessio Christi ad dextram Dei patris sui, et dominatio rerum omnium, in qua assumptus homo collocatus est. Nisi enim homo ille factus esset tantæ maiestatis capax, verbũ non potuisset fieri caro, & caro non potuisset ascendere ad dextram Dei, & suscipere rerum omniũ gubernationem. Hæc quidem sunt in oculis nostris miranda, sed non incredibilia: tradit enim ea nobis credenda Apostolica doctrina. Et nisi ea credamus, fœlicitate Christi nunc̃p in æternum fruemur. Nec quicquam potest nobis in his terris iucundius, et beatius cõtingere, c̃p cùm vera fide consideramus, carnem de nostra sumptam in tantam maiestatem esse euectam, vt non tantùm ipsa sua fruatur fœlicitate, verumetiam coràm nos in omnibus aduersis præsens conseruet, vitam nostram gubernet, & tandem nos ex omnibus miseriis, ac morte quoc̃p ipsa, ad fruendum ẽterna beatitudine, liberet. I nunc, Cingliane, speculare tecum, vel etiam, si libet, vociferare palàm, quomodo finitum, et dimensum possit fieri infinitum, & immensum: quomodo corpus possit esse sine loco, aut in omnibus locis, & quæ sunt id genus alia. Insane, non versamur in illorũ schola, in qua nulla est finiti ad infinitum proportio, et in qua nullum corpus est sine loco: sed in huius schola, qui docet, verbum esse factum carnem, seu Deũ ita

assumpsisse hominem, vt in eum conferret omnem suam maiestatem. Nec hoc est abolere substantiam hominis, sed ornare: non est eã tollere, sed exaltare: non est eam perdere, sed efferre. Si tibi aliud videtur, quid ad nos? scimus, si quidẽ humanam Philosophiã, & rationẽ huius mundi cõsulas, quòd finitũ non possit fieri infinitũ, & quòd corpus nõ possit esse sine loco. Si aũt cõsulamus oracula spiritus sancti, manifestũ est, quòd finitũ possit fieri capax (quemadmodũ satis ante demonstratũ est) infiniti: et quòd corpus substantia sua verum mancat corpus, etiamsi ab omnibus locis absoluatur, & ad cœlestẽ maiestatem transferatur. Accedit huc, quòd, sicut magnũ, paruũ, longũ, breue, altũ, profundũ, superũ, inferum: ita loco circumscriptũ, & finitum, vocabula sunt, non spiritualis, & cœlestis illius, sed huius nostri corporalis mundi. Et si quãdo ex hoc, ad illũ transferuntur, non fit proprie, iuxta humanæ intelligentiæ, sed iuxta cœlestis maiestatis rationem. Nulla enim est comparatio rerũ huius seculi, ad ineffabiles, & humano captu imperuestigabiles illius seculi conditiones. Nam, vt temporis, ita & loci distinctiones, in hoc mundo sunt solo, & cum mundo genitæ, ante aut extra illum nullæ sunt.

Quare etsi humanũ corpus habet suam in hoc mũdo circumscriptionẽ, & certo loco continetur, tamen si conferas te cũ corpore, aut ad cœlestẽ maiestatem, aut ad spiritualẽ mundũ, nihil tibi negotij est cũ loco, et corporali circũscriptione. Et quid dicã de infinito et immenso? Nobis quidẽ hominibus in hoc mũdo, multa sunt

ta sunt infinita, et immensa, sicut et Deus ipse nobis est infinitus & immensus. DOMINO aũt Deo nostro nihil prorsus est infinitũ, nihil immensum. Ac ne ipse quidẽ sibi est infinitus, & immensus, quippe qui optimè nouerit suã maiestatẽ definire, et metiri: alioqui non esset scientissimus, & sapientissimus omniũ rerum gubernator. Nondũ igitur finitum & dimensum, fit in conspectu Dei infinitum & immensum, etiamsi conferatur in humanitatem Christi tanta maiestas, quæ nobis hominibus videatur infinita, & immensa.

Quod si verò adhuc quispiã metuit, ne hac ratione humanitas aboleatur, aut mutetur in diuinitatem, age, explicemus illud vulgata Dei descriptione. In Deo enim nihil aliud est, q̃ꝫ solum esse. Nullũ igitur est in eo accidens, nullum inhærens. Quare, cùm quæritur, quid propriè, propriè inquam, sit Deus, non solet responderi, Deus est omnipotens, bonus, iustus, fœlix, vbiq̃ꝫ præsenter existens: quippe quòd hęc vocabula, quæ Dialectici vocant concreta, videntur significare, Deo multa tanq̃ꝫ accidẽtia inhærere. Sed respõdetur, Deus est omnipotentia ipsa, bonitas ipsa, iustitia ipsa, vita ipsa, fœlicitas ipsa, præsentia ac essentia ipsa. Etsi enim, ne hęc quidẽ vocabula οὐσίαν Dei ꝓ dignitate satis explicant, tamen cùm nõ habeamus nisi humana, permittitur nobis de Deo, quoquo modo possumus, vel saltem balbutire. Solemus quidẽ attribuere Deo, quas in hoc seculo inter nos animaduertimus excellentias: sed ipse oẽs illas nostras excellentias longè superat. Et quia fide tantũ spirituali, nõ intelligẽtia humana, Deũ

in hac carne pro ſuo modo agnoſcere poſſumus, non eſt mirandum, quòd in eo deſcribendo non ſuppetant nobis verba. Facimus igitur quod poſſumus, & cum dicendo, Deum eſſe omnipotentem & bonum, videamur minus dicere, cẽ oporteat, rectè loquimur, Deum propriè eſſe omnipotentiã, & bonitatem ipſam. Conferamus nunc iſta ad noſtrum inſtitutũ. Affirmamus, Chriſtum non Deum tantùm, ſed etiam hominem eſſe omnipotentem, & omnipræſentem. Hinc accuſamur, quòd mutemus humanitatem Chriſti in diuinitatem, & exæquemus diuinitati humanitatem: & quòd ſentiamus, Chriſtum hominẽ vbiq; eſſe, perinde ac Deus ipſe eſt. Sed hanc aduerſus nos accuſationem peperi partim inſcitia, partim malitia. Nam ſi diceremus, hominem Chriſtum, ſeu humanitatẽ Chriſti, eſſe ita omnipotentem & omnipræſentem, vt eſſet etiam omnipotentia, & omnipræſentia ipſa, iure accuſaremur: hoc enim verè diceretur (quòd in nobis eſſet) humanitatem mutare in diuinitatem. Nunc autem palàm affirmamus, Chriſtum hominem nõ eſſe omnipotentiam, & omnipræſentiam ipſam: Sed tantùm habere eam à diuinitate communicatam, vt verè quidẽ ſit omnipotens & omnipræſens, nõ autem ſit diuinitas, hoc eſt, omnipotentia, & omnipræſentia ipſa. Præterea quod Deus ſeu diuinitas eſt, hoc eſt natura ipſa ab æterno. Quod autem homo Chriſtus habet, non habet natura ab æterno, ſed accepit in tempore plenitudinis, & habet iam inde à cõceptione, & natiuitate, per gratiam vnionis. Adhæc, Deus in Chriſto eſt ſpiritus

æternus

æternus, & rerum omnium creator. Homo autem aſſumptus, eſt ſubſtantia corporea, creata: & quanꝯ dicatur pro ſua ratione de cœlo, cœleſtis, & corpus eius factum ſit in reſurrectione ſpirituale, tamen nunꝯ in æternum mutatur in ſpiritum. Non igitur exæquamus humanitatem Chriſti diuinitati οὐσίᾳ, ſed tantùm ὑπερουσίᾳ, non eſſentia ſed potentia, non natura ſed gloria, non ſubſtantia, ſed maieſtate. Hoc enim ſibi vult incarnatio Chriſti, hoc ſibi vult articulus ille Religionis noſtræ rectè & piè intellectus. SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS. Hoc expoſuit nobis Paulus, (quemadmodum ſuprà oſtendimus) qui in tertium cœlum & in Paradiſum raptus, multò rectius didicit, quanta ſit maieſtas humanitatis Chriſti, quàm anguſtia humani ingenij, uel capere vel explicare poteſt. Hîc verò obijcitur nobis ab antagoniſta Lutherus ipſe, & recitantur verba eius: Humanitas (inquit Lutherus) Chriſti, ſicuti & alius aliquis ſanctus, & naturalis homo, non omni tempore cogitauit, locutus eſt, voluit, animaduertit, ſicut nonnulli ex ipſo omnipotentem hominem faciunt, commiſcētes imprudenter duas inter ſe naturas, & naturarum opera, ſicut ille non omni tempore vidit omnia, audiuit, ſentitꝯ omnia, &c. Hactenus Lutherus. Aliàs autem opponitur Luthero Cinglius, qui ſcribit. Si humanitas vbiqꝫ eſſet, iam in diuinitatem tranſiuiſſet, nec amplius Chriſtus eſſet, &c. Sed prius de Luthero, & teſtimonio eius. Quid enim tu mihi in medium producis teſtimonium hominis temerarij, irati et furioſi? Patiar

Fol. 156.

Folio 123.

ne me à tali homine perſuaderi, & in ſententiam ſuam pertrahi? Cùm enim in meo ſcripto recitaſſem ſententiam Lutheri, de Dogmatiſtis Cinglianorum, qua palàm arguit eos impietatis, & incredulitatis, idq; feciſſem illo tantùm conſilio (quemadmodum ibidem perſpicuè teſtificabar) vt admonerẽtur ſui periculi, & nõ eſſent in propugnando ſuo dogmate tam petulantes, ac pertinaces (metiebar enim eos hac in parte, ex meo ingenio: qui certè non omnino contemnerẽ, ſi vel ſubulcus quiſpiam ſerìo de me, quamuis nihil mihi conſcio, ſpargeret, me multa quidem verbis de Deo iactare, nihil autem eorũ verè credere) Hìc Pyrgopolinices cooritur in me, quaſi qui patriam prodidiſſem, & tantùm non cum Caipha, conſciſſa veſte, exclamaꝝ. Blaſphemauit. Quid adhuc egemus teſtibus? Sed parùm retulerit, quid de me impuro ſuo ore euomat. Illud, ſcio, deteſtabuntur omnes verè pĩj, ex animo, quòd in Lutherũ, iam in Chriſto, cui ſumma fide ſeruiuit, quieſcentem, ita graſſatur, vt non vereatur eum palàm coram vniuerſa eccleſia Chriſti, nota furioſi in-
Fol. 156. ſignire. Prouocamus, inquit, ab irato, & FVRIOSO Luthero. Hæc eſt gratia, quã tantus heros à Cinglianis reportat. Hæc eſt gratitudo, quæ refertur ei à Sacramentariis, pro tãtis beneficiis, quibus filius Dei per ipſum vniuerſam eccleſiã affecit. Suprà ſcripſerat Bullingerus: D. Luthero (inquiens) beatæ memoriæ, nõ ſumus ingrati, multò minus, pſequimur eũ vllo odio. Nunc aũt parum memor horum verborũ & ad ingenium ſuum rediens, audet perfricta fronte, & proiecta temeritate, ſingulare organon Dei publicè pro homi-

ne

ne furioſo traducere. Non inſtituam encomiũ Lutheri: nec in præſentia iterũ expendam, cẽ verum ſit iudiciũ eius de Cinglianorũ dogmatiſtarũ fide: Illud autẽ dico, niſi tu, Bullingere, furijs exagitareris, hęc nõ ſcriberes. Et haud dubiè DOMINVS hanc veſanam tuã impietatẽ, videt, ac iudicabit: DOMINVS, inquã, videt, ac iudicabit. Ipſe enim Lutherus ſeſe exponit, & tuetur. Loquitur enim non de tẽpore glorificationis, ſed exinanitionis Chriſti. De quo, ſi ſermo fuerit, rectè reprehenduntur, qui faciunt ex Chriſto talẽ omnipotentem hominẽ, qui omni tẽpore cogitauerit, viderit, audiuerit, & ſenſerit omnia. Etſi enim, ſi maieſtatem hominis Chriſti intuearis, fuit ille iã inde ab initio incarnationis in forma Dei (quemadmodũ in priori ſcripto copioſius explicabamus) & potuit omni tẽpore, omnia cogitare, audire, videre, & ſentire: tamẽ exinaniuit ſeipſum, forma ſerui ſumpta, et cõſtitutus eſt in ſimilitudine hominũ, vt nunc ederit, nũc biberit, nunc cõcionatus fuerit, nũc dormierit, nec omni tẽpore omnia cogitauerit, aut viderit. Quid ergò? Num ideirco nõ fuit reipſa omnipotẽs? Non quidẽ fuit ad hunc modũ omnipotens, qualẽ fingebant ij, quos Lutherus reprehendit, videlicet, quod tẽpore inanitionis ſuæ, omnia omni tempore viderit & ſenſerit: nihilominus tamen fuit verè omnipotens: et teſtificatus eſt hanc omnipotentiã, quãdo viſum fuit, multis admirãdis operibus, donec eam reſurrectione à mortuis, & ſeſsione ad dextram Dei patris ſui, manifeſtè in eccleſia ſua patefecit. Quid multis opus? Lutherus ſententiã ipſe ſuam perſpicuè exponit, Poſtẽ, n, dixiſſet, ſicut (Chriſtus)

non

non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, atq; sensit: ita etiam corde non omnia semper agnouit, sed quantum illum duxit, ac docuit Dominus: mox subiungit hæc verba. Plenus tamen, inquiens, gratia, & sapientia fuit, etiam in hac vita, vt quicquid illi obiectum fuisset, potuerit intelligere, & iudicare, eò quòd diuinitas, quæ omnia videt & præsentia habet, in ipso personaliter præsens esset. Porrò, quicquid de deiectione, vel exaltatione Christi dicitur in scripturis, id totum humanitati eius tribuendum est. Hæc ille. Cur autem Bullingerus in recitando testimonio Lutheri, hæc verba, quæ sunt interpretatio sententiæ Lutheri, omiserit, facilè cogitari potest: videbantur enim calumniam patefacere. Quare tantum abest, vt testimonium Lutheri patrocinetur errori Bullingeri, vt potius vanitatem eius arguat. Sed transeamus à Luthero ad Cinglium, & testimonium eius. Hîc verò pertrahit me Bullingerus in locum mihi minimè iucundum, ac ipsis quoq; Cinglianis futurum non omnino, nisi fallor, amœnum. Itaq; optarim, vt & mihi, & ipsis peperciſſet. Sed quia sic ei libet, age, sequamur, quò pertrahimur. Initiò tanta est stomachi eius ἀστένεια, vt ne scriptionem quidem vocabuli Cinglij concoquere possit: & tanto est otio, vt liceat ipsi etiam in literas & syllabas inquirere. Cur ille (Brentius) per vniuersum (inquit) librum suum subinde Cinglium nuncuparit, per incogitantiam an malitiam, nescio, &c. Mallet enim audire Zuuinglij, quàm Cinglij vocabulũ. Ego autem verè affirmare possum, quòd soleam

Fol. 121.

scribere

scribere nomẽ Cinglij, nullo prorsus priuato iudicio, sed tantùm secutus morem Clariss. viri, fœlicis memoriæ D. Philippi Melanthonis, cui, ante me, solenne fuit scribere potius Cingliũ quàm Zuuinglium, siue delectatus fuerit vocis illius cõcinnitate, haud scio: siue vt competeret in versiculos, qui in Carione eius de tempore casus Cinglij extant.

Occubuit patrio bellator Cinglius enſe,
Et preſſa eſt armis gens populoſa ſuis.

Ac profectò siue Cinglium siue Zuuingliũ scripseris, parum retulerit. Si enim gregales eius abhorrent ab horum vocabulorum etymologia, non est ignotũ, Græcum verbum κλγκλίσαι parum admodum significato suo à cogẽdi verbo, differre. Quare iuxtà ponendum est, siue Cinglium siue Zuuinglium scripseris. Deinde vt Bullingerus aliquantulum exoneret cor suum plenum felle amaritudinis, & euomat in me virus animi sui, scribit se demirari, quàm vehementer laborem inuidia, atq; odio vsq; adeò graui, pertinaci, atroci atq; inexpiabili in Zuuinglium, &c. Et paulò post. Odij, inquit, istius Vatiniani erga Zuuinglium, nullam causam nouimus, aut suspicari possumus, quàm quòd per initia belli infœlicis Sacramentarij fortè non magnificè satis de Brentio, & scriptis eius hic sensit, & alicubi scripsit. Hactenus ille. At enim, nisi ex abundantia cordis vestri, vos Cingliani, os vestrum loqueretur, & animus vester plenus esset veneno aspidum, nõ concepissetis de me talem suspitionem, multò minus publicis literis mandassetis. Sed *Fol. 122.*

quia visum est vobis excetram vestram in me effundere, rem ipsam, bona fide commemorabo. Anni sunt triginta octo, ex quo Oecolampadius scripsit librum de verbis cœnæ Dominicæ: & in fine libri addidit epistolam ad eos, qui Euangelium Christi in Suueuia adnunciabant. Videbatur scriptum ad me quoq; pertinere, qui tum eram minister ecclesiæ, quæ est in Hala Suueuica. Itaq; quia amabam Oecolampadium præceptorem ex animo, inspexi librum: sed, vt dicam quod res est, nõ videbantur mihi argumenta eius tam firma, vt me sententiæ eius adscriberem. Interea conuolant ad me Halam aliquot finitimarum ecclesiarum pastores, à me nec excitati, nec congregati, quemadmodũ nugabatur Cinglius, sed suopte, eoq; consilio, vt scriptum Oecolampadij, quemadmodũ fatebantur postq̃ aduenerant, mecũ conferrent. Petunt igitur, quia existimabant & ipsi, id scriptum ad se pertinere, vt non grauarer cum ipsis scriptum percurrere & cõferre. Feci haud grauatim. Contulimus inter nos, vt animo erga Oecolampadium candidissimo, ita etiam summa concordia. Quod cum factũ esset, instant iterum, vt quæ familiariter de eo negotio inter nos collocuti eramus, conijcerem in chartas, se peculiari tabellario ad Oecolampadium missuros. Etsi aũt videbar graues habere causas, cur hoc officij detrectarẽ, tamen cum vrgerent, nolui odiosè resistere. Et quod ex sententia ac penè dictatu eorũ scripsi, cõfestim suo ipsi impendio ad Oecolampadium miserunt: nec cogitarunt tum, quod ego sciebã, de publica eius scripti æditione,

tione, nec in hoc erat in literas collatũ: Sed dum hęc aguntur, ecce tibi alius quidã, nobis & inscijs, &, cùm resciuimus, repræhendentibus, ædit scriptũ in lucem. Paulò post vulgatur etiam è Latina in Germanicã lin guam versum, et à Luthero non improbatũ. Hîc Cinglius occasionem arripiens, etsi nostrũ multi erãt, qui id scriptum contulissemus, tamen in me solum impetũ facit: et velut Goliath quispiã, hastã suã in me vibrans, minatur, se carnes meas daturum volatilibus, cœli, & bestijs terræ. Ac primùm nugatur, sicut paulò antè dicebã, me Episcopulos (hoc enim vocabulo vtebatur) conuocasse: cùm sua sponte me, qui nullã habebã conuocãdi eos autoritatẽ, accessissent. Deinde accusat me ingratitudinis in prẽceptorẽ: Scilicet, ingratitudo est, si discipulus aliquid de doctrina pietatis, familiariter cum præceptore confert, & errori eius, seruata sua erga præceptorẽ veneratione, cõtradicit. Adhæc tanta erat libido eius grassandi in me (qui tamẽ ipsum nullo vnq̃ contumelioso verbo, quod ego sciã, læsissem, nisi fortè, si quid in dogma dictũ esset, in sui contumeliam raperet) vt etiã mihi meã dicendi infantiam summi & extremi probri loco obijceret, ac planè pedibus cõculcaret: quasi verò hîc fuisset certamẽ eloquentiæ, & nõ potius simplicissima veritatis inuestigatio: & quasi in hac causa ageretur, non quis esset in asserenda verè pia sententia fidelior, sed quis facundior. Quid ergò facerem? Compensarem ne maledicta odio (vt Bullingerus loquitur) Vatiniano & rescripto maledico?

Fingamus hoc mihi licuiſſe, tamen iudicabam me nõ ſatis iuſtas habere cauſas, cur in hominem maledicum inueherer. Quod de mea cõuocatione ſcribebat, manifeſtum erat mendacium, omnibus meis collegis notũ. Manifeſta autem mendacia non indigent defenſione: & ſua ſponte ſolent euaneſcere. Quod dicebat de ingratitudine erga præceptorem, calumnia erat: à qua ſcriptum ipſum noſtrum, me coram omnibus bonis & prudentibus viris liberabat. Et non eſt ignotum, quid illud Chriſti ſit: Si oculus tuus offendit te, erue eum, & proijce abs te. Et illud Hieronymi. Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Quod ad meam dicendi infantiam, & balbutiem attinet, agnoſco eam ipſe: vt ſi quis mihi adimit laudem eloquentiæ, perinde afficiar, ac ſi quis negaret me eſſe regem Perſarum. Etſi enim donum eloquentiæ in alijs et admiror, & laudo, tamen quia mihi hoc donum diuinitus eſt negatum, non ſuccenſeo, ſed æquo animo fero. Nec, etiamſi haberem, exiſtimarem ad hanc cauſam tuendam neceſſarium. Veritatis ſimplex eſt oratio. Et veritati teſtimonium perhibere poſſunt non tàm eloquẽtes, quàm infantes. Ex ore infantium, & lactentiũ, inquit Pſal. perfeciſti laudem. Illis autem neceſſarium eſt lenocinium verborum, & picturata oratio, qui ſuſcipiunt malas, & impias cauſas tuẽdas. Vobis igitur Cinglianis harum diuitiarum laudem, ſi quidem eam vobis arrogatis, concedo. Nos noſtra pauperticula cõtenti

erimus.

erimus. Itaq; ne hac quidem Cinglij exprobratione? habebam dignam cauſam, cur eum odio proſequerer. Et ſi quid in eum (quod abſit) odij concepiſſem, potuiſſem horribili eius caſu, quo non longè, poſt conIecta in nos probra, miſerrimè interijt, exatiari. Accedit huc (fatebor enim quod res eſt) quòd indignum iudicarem, cui reſponderem: quippe qui ſentiebam, eum eſſe hominem à vera filij Dei eccleſia alienum, & habebat tùm ſuum antagoniſtam, qui me hyperaſpiſta minimè indigeret. Malui igitur eum cum ſuo Hercule, & Numa Põpilio in ſuo cœlo relinquere, quàm in his terris exagitare. Quod autem ſcribo in Cinglianos, non fit odio perſonarum, ſeu Cinglij, ſeu Bullingeri, ſeu aliorum, quibus ego, ſi ferre poſſunt, omnem veram ſalutem precor: ſed ſit iuſto & pio odio impij dogmatis eorum: quod ego non iam primum cœpi deteſtari, ſed pugnaui cum eo, ſemper ab huius certaminis initio. Prudentius igitur feciſſet Bullingerus, ſi aut planè à mentione huius rei nihil prorſus ad cauſam neceſſariæ, abſtinuiſſet: aut ſuum diſcrimen inter perſonã, cui bona quæuis opto, & inter dogma, quod improbo & perſequor, feciſſet.

Sed nec illud debet Bullingerus impunè ferre, quòd impotenti iactantia cõmemorat, ad quàm multa regna Cinglianũ dogma peruenerit. Nunquam (inquit) efficiet ille (Brentius) vt multa illa hominum millia per Germaniam, Galliam, Angliam, Italiam, Poloniã, Lithuaniã, Hungariã, &c. perq; alia regna, quæ per gratiam Dei ex prædicatione & ſcriptis Cin-

g helij veram Christi cognitionem hauserunt, non sint
h honore debito & digna gratitudine virum tantum
prosecuturi. &c. Hactenus Bullingerus. Precor autem pium lectorem quàm diligenter, vt si quid aduersus hanc Bullingeri gloriationem liberius, & alacrius dixero, non eò interpretetur, quasi homini mortuo, & nunc ad tribunal Dei suam causam agenti, petulanter insultare cupiã; nec mihi, sed insolentiæ Bullingeri imputet. Cedo igitur Cingliane, tot ne sunt regna, quę Cinglius suo dogmate (quod Bullingerus pro sua sentẽtia, verã Christi cognitionẽ vocat) inuasit, & expugnauit? Quid ergò faciamus? Quid? nisi vt veterẽ Cinglij triumphum renouemus. Spero autẽ vos Cinglianos mihi ꝓpitios fore, quòd hactenus ignorauerim vestri Patriarchæ maiestatẽ. Putabam eum esse aliquem tantũ gregariũ bellatorem, iuxta vulgatũ versiculũ, quẽ suprà recitaui. Nunc aũt intelligo eum esse inuictũ Imperatorẽ ac triumphatorẽ. Imãne, quantus est hic heros? quid cessant viri, mulieres, maiores, minores, senes, iuuenes, ac etiã infantes, quin ad Bullingeri buccinã cõclamẽt: Cinglius triumphator, Germanicus, Gallicus, Anglicus, Italicus, Polonicus, Lithuanicus, Hungaricus, et plus vltrà, etiã Callicuticus? Sciamus igitur quę sint heroica illa stratagemata, quæ in tot regnis peregit. Nõ enim frustra tanti honoris titulos reportat. Ecce igitur tibi, docuit (nõ enim huc pertinẽt, quę cõmunia habet cũ Luthero, et quę Deus initio his temporibus per Lutherum, nõ per Cinglĩ, in Ecclesia patefecit, sed de ijs loquor, quæ peculiaria habet contra Lutherum) in Eucharistia panem esse panem

panem, vinũ esse vinum. An non hoc est insigne stratagema? Pergamus. Docuit, imagines, & statuas Sanctorũ, non esse nisi fictitios colores, nõ esse nisi lapides & ligna, ideoq; luto conspergendas, aut è medio tollendas. O quantũ hoc est beneficium? Quid amplius? Docuit, Herculem, Theseum, Socratem, Numam Pompilium, & alios Ethnicorum hercẽs commorari in cœlo cum Abraham, Isaac, Iacob, & alijs Sanctis. Plaudite igitur omnes gẽtes manibus, & ἀρχισφατηγὸν vestrũ dignis prosequimini laudibus? Vanissimi hominũ gloriantur de multitudine, perinde ac si ex multitudine vera religio penderet. Et quid? An non totus orbis factus est quondam Arrianus? Num igitur Cinglianismus vera esset doctrina, etiamsi nũc totus quoque orbis fieret Cinglianus? Quasi verò Deus non reseruet etiam his temporibus sua sibi septem millia in medio Cinglianorum, qui non curuant genua sua ante Cinglianum Baal? Quasi verò mendacium & impietas diu cõstare possint, etiamsi aliquandiu florere videãtur? Et vt diu constẽt, num idcirco sunt veritas et pietas? Quanto tẽpore constitit Arrianismus? quanto Papismus? Nunc̃ tam benè cum humanis rebus actum est, vt optima plurimis placuerint. Et vetus dictum est: Maior pars vincit meliorem. Hęc voluit Bullingerus audire, cùm nobis regna sua obtruderet. Ac nisi desinat, audiet fortasis plura, et præsertim illud, quod de Arrio, ni fallor, dictum est, tantò grauiora fieri supplicia eius in inferno, quanto plures gentes ad impietatem eius accesserint.

Sed abeant ista παρέργα, ad quæ Bullingerus nos per-

traxit. Suscipiamus autem testimonium seu confessio-
Fol. 123. nem Cinglij, quam recitat expendendam. Credo & confiteor (inquit Cinglius) quòd duæ istæ, quæ in Christo Iesu sunt naturæ, nunq̃ scindi, vel ab inuicem separari aut dirimi possint, sic vt non vna persona sit & eadem, &c. Hactenus audiuimus verba Ecclesiæ catholica & orthodoxa. Sed interea non obliuiscamur verborum Apostolicorum: Deum profitentur verbis, negant autem factis. Et habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Reuocemus etiam in memoriam, quòd nõ furiosus quispiam fanaticus, sed Lutherus singulari spiritus sancti dono ornatus, de Cinglianis scribit. Credo & ego (inquiens) quòd in recessu, & latebris cordium vestrorum nihil quicq̃ nec de Deo, nec de potentia eius credatis, de qua re etiam certus sum, &c. Quæ cùm ita se habeant, progrediamur ad alia Cinglianæ confessionis. Si humanitas (inquit) vbicq̃ esset, iam in diuinitatem transiuisset, nec amplius Christus esset. Et mox: Si Christi humanitas vbicq̃ esset, non alia huius posset esse causa, quàm quòd in diuinitatem esset conuersa. Hactenus Cinglius. Ego verò nego quod assumit. Falsum enim est, quòd humanitas Christi necesse habeat in diuinitatem transire & conuerti, si fuerit vbicq̃. Hoc inquam, quod & Bullingerus, & gregales eius toties inculcant, falsum est. Humanitas enim Christi non transit, non conuertitur, non mutatur in diuinitatem, etiamsi fuerit vbicq̃: sed assumitur tantùm à diuinitate in eandem personam, & ornatur,

salua

ſalua eſſentia eius, maieſtate diuinitatis. Vocabulo autem (vbiq;) non intelligimus craſſam in omnia loca extenſionem, qualem ſycophantæ nobis affingunt, quemadmodum etiam ſuprà admonebamus: ſed eam ineffabilẽ, & humano captu inperueſtigabilẽ coniunctionem ac vnionem, qua humanitas Chriſti in æternum nunq; vllo loco, aut locorum interuallo à diuinitate, vbicunq; ea fuerit, abeſt. Intelligimus etiam eam euectionem & exaltationẽ, qua humanitas Chriſti ad dextram Dei patris omnipotẽtis ita eleuata eſt, vt non ſolùm tranſcenderit omnes principatus et poteſtates, verùm etiam habeat omnia ſibi ſubiecta, & ea coràm præſentiſsimè vnà cum diuinitate gubernet & conſeruet. Vt, cùm dicimus, humanitatem Chriſti eſſe vbiq;, non aliud intelligamus, nec intelligi velimus, quàm eam aſſumptam eſſe à diuinitate in vnam indiuiſam perſonam, & collocatam ad dextram Dei patris omnipotentis: quemadmodum quidem ſcripta Prophetica & Apoſtolica interpretantur, & nos ſuprà commemorauimus.

Sed obijcitur iterum. Omniprẽſentia ſeu vbiquitas eiuſmodi eſt proprietas diuinitatis, vt ſoli Deo competat, nec poſsit creaturæ communicari, propterea quòd ſit proprietas diuinitatis eſſentialis. At enim, ſi ob hanc cauſam eſt incõmunicabilis proprietas, quòd ſit eſſentia Dei, nihil certè, quod eſt in Deo, erit communicabile. In Deo enim nullum eſt inhærens, nullũ accidens. Quicquid eſt in ipſo, eſſentia eſt, imò nihil eſt in ipſo, ſed ipſe eſt totum eſſe. Itaq; iuxta ſen-

tentiã huius obiectionis, nec bonitas, nec ſapientia, nec iuſtitia, nec fœlicitas Dei, erunt communicabilia. Hęc enim nõ ſunt inhærẽtia Dei, ſed ipſa Dei eſſentia. Nunc autem benè habet. Condidit Deus omnia ad participatum ſuæ bonitatis, & inprimis condidit hominem ad participatum ſuæ ſapientiæ, iuſtitiæ & fœlicitatis: & quem ita condidit, eũ etiam fecit horũ bonorum capacẽ, quantũ voluit. Ac voluit quidẽ, vt alij homines, qui credunt in Chriſtum filium Dei, fierent participes, & vt Petrus loquitur κοινωνοὶ, conſortes diuinæ naturæ, iuxta ſuam quiſq; menſuram. Ipſum autem hominem Chriſtum, propter quem omnia alia condita ſunt, voluit eſſe χωρητικὸν καὶ κοινωνὸν, capacem & participem omniũ ſuorum bonorum ſine vlla menſura. Itaq; ſicut effudit in eum omnem ſapientiam, bonitatẽ, iuſtitiam, ſcientiam & fœlicitatem, ita etiam extulit eũ in ſummam ſublimitatẽ, vt vnà cum ipſo omnia impleret, & præſentiſsimus gubernaret. Quod cum copioſè antea demonſtratum eſt, proſequar nunc reliqua. Rurſus enim audio, ſicut Deus voluit, vt homo Chriſtus ornaretur omni cœleſti maieſtate, ita etiã voluit, vt verus eſſet homo, & verũ haberet ac naturale corpus. Rectè. Non voluit autem, vt hîc naturalis homo teneretur ſemper naturalibus legibus: nec voluit, vt corpus eius nõ eſſet niſi animale corpus. Politici ſcriptores eximunt ſuum principem à ſuis politicis legibus, quas poſuit: Princeps, inquiunt, legẽ dat, non accipit. Et Deus pater omnipotens non eximeret, ſalua ſubſtantia, à legibus naturæ, quas ipſe tulit, eum hominem,

minem, quem vnigenito filio ſuo, in vnam perſonam copulauit, & ad dextram ſuam ſedere fecit? Hîc recenſeri ſolent à noſtris non ſolùm ieiunium Chriſti quadraginta dierum et noctium, ambulatio in mari tanq̃ arida, transfiguratio, diſparitio, & id genus alia, verũ etiam clauſus vterus virginis, ſaxum monumenti, & clauſæ ianuæ, quæ non obſtiterunt corpori Chriſti, quò minus contra legem naturæ per ea penetrauerit. Nec obſcurum eſt, quod maxima pars Eccleſiaſticorũ ſcriptorũ tam veterũ q̃ recentiorum, ſenſerint, Chriſtum natum eſſe nõ effractis clauſtris virgineis, & reſurrexiſſe à mortuis, ac penetraſſe per ſaxũ monumenti, priuſq̃ angelus ſaxũ amoueret. Veniſſe quoq̃ à reſurrectione ad diſcipulos, non per ianuas, vel à ſe, vel ab angelo inuiſibiliter apertas, ſed clauſas. Difficilè, inquit Auguſtinus, ſurgeret, ſi non, anteq̃ reſurgeret, regnaret. Nã quomodo de ſepulchro exire nõ poſſet, qui ex incorruptis matris viſceribus ſalua virginitate proceſsit? Fefellit cuſtodes, exiliuit de ſepulchro, appa ruit diſcipulis ianuis NON APERTIS. Inde clauſus exiit, huc, excluſus, intrauit. Item in Epiſt. 3. ad Voluſianũ: Ipſa virtus per inuiolata matris virginea viſcera, mẽbra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia mẽbra iuuenis introduxit. Et aliàs: Miraculum eſt, quòd Dñs noſter Ieſus Chriſtus in carne vera intrauerit ad diſcipulos per oſtia clauſa. Requiris à me forſitã rationẽ, et argumentũ requiris. Si vera, inquies, caro fuerat quæ reſurrexit, quomodo ipſa clauſis ianuis ad diſci-

Euag. 131.

Ser. de temp. 138.

Sermo. 159.

pulos introiuit? Et mox. O homo, si rationem à me poscis, non erit mirabile. Exemplũ queritur, non erit singulare. Credis nempe DOMINVM Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis vtiq;. Dicis igitur mihi, si per ostia clausa Christus intrauit, vbi est corporis pondus? Recedant paulisper moles & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est, Christus: qui carnem suam potuit de sepulchro producere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serua fidem, non inquirat animus rationem. Ille viuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris nõ violauit. Ac rursum. Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe NON EIS APERTIS intrare potuit: quo nascente, virginitas matris inuiolata permansit.

In Ioannem Tract. 121.

Et Hieronymus aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Quòd clausis, inquit, ingressus est ostijs, eiusdem virtutis fuit, cuius & ex oculis euanescere. Lynceus, vt fabulæ ferunt, videbat trans parietem: Dominus clausis ostijs, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & vultures transmarina cadauera sentiunt: saluator Apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit?

Et Chrysostomus. Vis scire quomodo de virgine natus sit, & post natiuitatẽ mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus. Nulli dubiũ, quin clausa sint ostia. Qui intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus: verè corpus erat. Quid enim

enim dicit? Respicite & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, quæ me habere videtis. Habebat carnes, habebat ossa, & clausa erant ostia. Quomodo clausis ostijs intrauerũt ossa et caro? Clausa sunt ostia, & intrat, quem intrantem nõ vidimus. Vnde intrauit? Omnia clausa sunt. Locus non est per quem intret, & tamen intus est, qui intrauit, & non apparet quomodo intrauit. Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei, quia de virgine natus sit

Cyrillus: Clausis, inquit, foribus repente Dominus omnipotentia sua, natura rerũ superata, ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit: cùm intelligat, non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed de omnipotente filio Dei hæc ab Euangelistis conscribi. Nam cùm Deus verus sit, rerum naturæ nõ subiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Omnẽ enim mentem ac rationem excedunt, quæ fecit. Qua enim ratione dices ipsum super maria quasi per aridam ambulasse, cùm aquarum natura corporibus nostris naturaliter non substernatur? Beda: Potuit clauso exire sepulchro, qui clauso exiuit vtero. Vulgarius: Iesus venit & stetit, quia præstolabatur, vt omnes conuenirent. Ostijs verò clausis, vt ostendat, quia eodẽ modo resurrexit, adiacente lapide super monumentũ. *In Ioan. cap. 20.* *In Lucam.*

Possem in hanc sententiam multa, & vetustiorum, & recentiorum Patrum testimonia commemorare. Sed quid in re aperta multis opus? Hæc cùm in meo

ſcripto attigiſſem verius, quàm copioſius tractaſſem, vt ſignificarem, corpus humanum poſſe ſalua ſubſtantia conſiſtere, etiamſi non eſſet loco circumſcriptum, Immane, quantum ferocitas, ſed quid dixi? modeſtia Bullingeri efferueſcat. Demiror (inquiens) vehementer putidas has nugas non ſordere aduerſario, neque tantarum ſuppudere ipſum ineptiarum. Et mox: Declarat (Brentius) huiuſmodi elumbibus planè nixibus, cꝫ ſuſtineat cauſam morbidam. Cedo, quæ ſunt illæ putidæ nugæ, quæ tantæ ineptiæ, qui tam elumbes nixus, quæ tam morbida cauſa, vt me mei facti pudere debeat? Attigi, de clauſo virginis vtero, de ſaxo monumenti, & de clauſis ianuis, ſententiam in vniuerſa eccleſia, iam inde à veteribus vulgatam: & oſtendi non meo ſomnio, ſed veterum teſtimonio, corpus Chriſti retinere veritatem corporis, etiamſi non ſit certo loco circumſcriptum. Quid? Sententiæ veterum putidæ nè ſunt nugæ, & ineptiæ, quarũ ipſos pudere debeat? Quantũ obſecro vociferationis, quantum iactationis oritur inter Cinglianos, cum è ſcriptis veterum decerpunt aliquod dictũ, quod ſomnio ipſorum nonnihil tribuere videtur? Ibi gloriãtur, vniuerſam vetuſtatem à parte ipſorũ ſtare. Quid igitur noui accidit Bullingero, quòd nunc veterũ ſententiæ putidæ ſint nugæ & ineptiæ? Sed hæc eſt Bullingeri modeſtia, & hoc eſt fundamentum firmũ, cui tuto fidelis quiuis inniti poteſt. Cum neſcit quò ſe vertat, & quid reſpondeat, conuertit ſe ad contumeliam, & conuitia, quibus ſi ego reſpondere conarer, quis eſſet tandem

ſcribendi

ſcribendi modus & finis? Ad cauſam igitur ipſam. Cinglianorum dogma eſt: Ne Deum quidem ipſum ſua omnipotentia efficere poſſe, vt corpus, ſalua eſſentia eius, non ſit in loco. Huic impietati obiectum eſt iamdudum à noſtris, & inprimis à fœlicis memoriæ Luthero (ne fortè exiſtiment, me tam induſtrium eſſe, qui primus iſta excogitauerim) vniuerſum corpus huius mundi, quod eſt mole ſua inter corpora longè omnium maximum: hoc enim iuxta ſuam exteriorem ſuperficiem nõ eſt vllo loco circumſcriptum, ſed continetur admirabiliter in manu Dei, quæ non eſt locus corporalis. Deinde obiecta eſt penetratio corporis Chriſti per clauſum vterum virginis, per ſaxum monumenti, & per clauſas ianuas domus, in qua Apoſtoli à reſurrectione erant congregati. Hîc tantùm abeſt vt dent honorem & veritati, et vetuſtati, vt etiam audeant perfricta fronte contra apertam ſcripturam, præſertim de clauſis ianuis, noua commenta excogitare. Dicunt creaturam ceſsiſſe creatori. Et angeli opera ianuas fuiſſe apertas (quemadmodũ etiã Act. 5. & 12. factum eſt) vt Chriſtus potuerit intrare. Amabo aũt te, putas ne eos intelligere quid dicam? Ac rectè quidẽ affirmãt, creaturã ceſsiſſe creatori. Sed quomodo? Nũ creator aperuit ianuas inuiſibiliter, quò minus corpus Chriſti excluderetur? At ſi des creatori, vt vel reddat ianuas inuiſibiles, & aperiat inuiſibiliter, vel pcutiat Apoſtolos ἀφασίᾳ, vt aperiat ianuas cęcatis Apoſtolis viſibiliter, quę eſt illa omnipotẽtiæ Dei impotẽtia, quòd nõ queat efficere, vt corpus Chriſti ianuis

prorſum

prorſum clauſis introeat? præſertim cùm ſcriptura aperte teſtetur (cui etiam ſententiæ adſcribunt ſe tam veteres quàm recentiores Patres) Chriſtum intraſſe ad diſcipulos ianuis CLAVSIS, non apertis. Sed inquiunt: Corpus non manet verum corpus, ſi traducatur per ianuam clauſam. Nos verò negamus iterum atq; iterum. Nec hactenus vnquam à vobis probatum eſt, vllo vel ſaltem veriſimili argumento, quòd cùm manifeſtè ſcriptum ſit, Chriſtum corpore ſuo intraſſe ianuis CLAVSIS, Deus non potuerit omnipotentia ſua, in hoc tam admirando introitu, veritatem corporis conſeruare. Et quid? Fingamus eccleſiam Patrum, qui manifeſtè ſentiunt, ianuas nec ab angelo, nec alia quadam occulta Dei potẽtia apertas, ſed clauſas manſiſſe, in ea re hallucinatos: illud tamen perſpicuum eſt, quòd ſenſerint, corpus Chriſti retinuiſſe veritatẽ corporis, etiamſi penetraret ianuas clauſas, & non eſſet interea in loco. Quid ergò tu auſu tam temerario inſultas eccleſiæ? Quid noua nobis commenta aduerſus vniuerſæ penè eccleſiæ ſententiam obtrudis? Recte igitur dictum eſt, creaturam in hoc miraculo cedere creatori: non autem eo modo, quem Cingliani ſomniant, videlicet ianuã fuiſſe inuiſibiliter apertam: Sed illo modo, quòd ianua non obſtiterit ſua mole, quò minus corpus Chriſti, ſeruata ſuæ eſſentiæ veritate, per eam in ſua quoq; ſubſtantia ſaluã, penetraret. Recedant, inquit Auguſtinus, pauliſper moles & pondus: ille hæc fecit cui nihil eſt impoſſibile. Et, Chriſtus, qui potuit carnem ſuam de ſepulchro producere,

nõ potuit CLAVSIS ianuis ad discipulos introire? Nã quod de Angelo, qui aperuit Apostolis, & Petro ianuas carceris, adducitur, videt quilibet diligens rerũ inspector, num conueniat argumentatio: Angelus aperuit ianuas carceris, Apostolis & Petro: Necessariò ergò sequitur, quòd etiam aperuerit ianuas Christo ad discipulos intraturo. Hîc enim manifestè scriptum est, Christum intrasse ianuis clausis, non ianuis apertis. Et absurdissimũ est sic argumentari: Angeli semel & iterum aperuerunt Apostolis ianuas clausas: necessariò igitur cõsequitur, quòd semper, semper, inquam, aperiant eas, etiam Christo ipsi. De saxo monumenti, etsi non est obscurum, quòd Angelus remouerit illud ab ostio, tamen negari non potest, quin vniuersa ecclesia, attestantibus tam vetustis, quàm recentioribus Scriptoribus, senserit, Christum resurrexisse à mortuis (siuè id in media nocte, siuè diluculo, aut summo mane, factum sit) priusquàm Angelus saxum à monumento remouit. Scilicet, nisi Angelus subuenisset Christo amotione saxi, Christus necesse habuisset adhuc hodieq; in monumento iacere. Et qui potuit seipsum mortuũ excitare ad vitam, non potuit se viuum, absq; saxi amotione, discipulis conspiciendum proponere. Fefellit (inquit Augustinus) custodes, exiliuit de sepulchro, apparuit discipulis ianuis NON APERTIS, Inde clausus exijt, huc exclusus intrauit. Et Hieronymus: Angelũ (inquit) nõ putemus idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, &, reuoluere lapidem. Sed postquàm Dominus resurrexit hora

qua ipſe voluit, et quæ nulli mortalium cognita eſt, indicaſſe quod factũ eſt, & ſepulchrũ vacuum reuolutione lapidis, & ſui oſtendiſſe præſentia. Mauult igitur Bullingerus à ſententia veterum, quorũ autoritatẽ toties iactat, recedere, quàm figmentum ſuũ de circumſcriptione corporis abiicere. De virginitate aũt Mariæ nulla eſt in præſentiarum diſputatio: fatemur eam perpetuò manſiſſe virginem. Illud autem agitur, num Chriſtus in natiuitate ſua venerit in hunc mundũ, inuiolato pudoris clauſtro, an perruperit illud? Nec nos ſcrutamur arcana, vel Dei, vel mulierum: ſed recitamus tantùm ſententiam veterũ. Nec in præſentia ſollicitè expendemus, num rectè docuerint, Chriſtũ natum eſſe clauſo virginis vtero: ſed erimus interim cõtenti, quòd ſic ſenſerint, & docuerint. Et ſi quiſpiã exiſtimauerit, ſibi teſtimoniis, quæ ſuprà recitauimus, nondũ eſſe ſatisfactũ, audiat veterẽ in eccleſia Poetã,

Sedulius lib. 1. diuinorum mirabilium.

Iamq; nouem lapſis decimi de limine menſis.
Fulgebat ſacrata dies, cum virgine fœta.
Promiſſum compleuit opus, verbum caro factum eſt.
In nobis habitare volens, tunc maximus infans,
Intemerata ſui conſeruans viſcera templi
Illæſum vacuauit iter, pro virgine teſtis
Partus adeſt, clauſa ingrediens, & clauſa relinquens.

Clauſa, inquit Sedulius, ingrediens, & clauſa relinquens. Reliquum igitur eſt, quòd ſenſerit, duo corpora poſſe eſſe ſimul in vno loco: & corpus poſſe veritatẽ corporis retinere, etiamſi cum alio corpore nihil mutato, abſq; loco fuerit. Viderit aũt Bullingerus, quomodo interea conuenerit cum Martyre. Certè antea

ſenſit,

ſenſit, quod in meo ſcripto recitaui, Chriſtū videlicet per clauſum virginis vterum exiſſe: Martyr autē diuerſum. Quare ſi Bullingerus recantauit priorem ſuam ſentētiam, et adſcripſit ſe ſententię Martyris, ne videatur duo corpora in vnum, eundemq; locū concludere, & penetrationem dimenſionum, contra generalem naturæ regulam, concedere: gratificatus quidē eſt amico, ſed interim pugnat cum ſententia veterum, & cum vera omnipotentia Dei. Habes, amiciſsime Lector, putidas nugas, & ineptias, quas mihi antagoniſta obiecit. Nunc tuum erit iudicare, quàm iuſtam habuerit cauſam ſic contumelioſè in me graſſandi.

Cæterùm Bullingerus, nec illud potuit abſq; atrabile vel præterire, vel refutare, quòd dixi, locum eſſe corporis accidens, non ſubſtantiam. An nō iudicabit, inquiens, homo ſobrius ad Sophiſticam in primis pertinere demonſtrationem aduerſarij de eo inſtitutam, quòd *locus* ſit corporis accidens, nō ſubſtantia: Et addit. Sed qualis hîc obſecro cernitur mutatio? Ille qui hactenus in nobis reprehendit mordaciter, quòd Ariſtotelem in multis videamur ſequi, ille, inquā, nunc nobis ſuum profert Porphyriū, dicentē: Accidens eſt, quod adeſſe, & abeſſe poteſt, præter ſubiecti corruptionem. Hactenus Bullingerus. Quod futurum diuinabam, hoc euenit. Expoſui in priori ſcripto, ſubſtantiam corporis poſſe ſaluam manere, etiamſi non ſit in loco, propterea quòd accidēs, ſiue adſit ſiue abſit, nō mutet ſubſtantiā. Locus aūt non eſt ſubſtantia, ſed accidens corporis. Quod argumentū cùm abſoluiſſem, addidi: Sed quia ſumūt, inquiēs, ſibi ꝓ ſua autoritate,

Aristoteles

ex Aristotelica schola, ius probandi, et damnãdi quę libet: et fortasis illud quoqꝫ, quod de inhærentium natura exposuimus, abijcient. Agedum, ingrediamur in scholam Spiritus sancti. Hîc vides me præuidisse calumnias & impudentiam Bullingeri, & voluisse ea cauere, palàm scribens, me nolle consistere in schola dialectica, sed velle progredi ad scholã Spiritus Sancti. Quomodo potuissem mihi apertius à temeritatis nota cauere, et aduersario calumniandi occasionẽ prę-cidere? & tamẽ animus eius tanto amaritudinis felle oppletus est, vt ne candorem quidẽ ipsum possit candidè interpretari. Re igitur ipsa comperio, quòd tutius sit cum Scorpionibus habitare, quàm cum hoc hominum genere aliquid conferre. Equidem fateor, me aliquoties reprehendisse, quòd Aristotelẽ sequantur, non volui autem significare, nullum prorsus esse vsum eius in rebus humanis. Video aliqua ex parte, quanto ingenio, quanta industria naturas rerum in hoc seculo indagauerit: nec immeritò, si in suo gradu relinquatur, dictus est Philosophorum princeps. Sed illud reprehendere volui, quòd vos abutamini eius in suo loco & gradu benè dictis, ad confirmanda vestra impia dogmata: & transferatis axiomata eius physica ac mũdana, ad refutandam doctrinam nostram Hyperphysicam et cœlestem. Hoc demũ reprehensione dignissimum est. Ego autem reuocaui vos ad pueriles Dialecticorum regulas, siuè illæ à Porphyrio, siuè ab alijs id genus authoribus traditæ sint, de natura substantiæ & Accidentis: vt ostenderem, vos vestris argumenta

mentationibus nõ pugnare tantùm cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, verùm etiam cum rudimentis philoſophicis, hoc eſt, cum ſenſu cõmuni. De qua re maximè à vobis ipſis admonitus ſum. Martyr enim opponebat nobis, Illud tollere naturam rei, quod pugnaret cum definitione eius. Hoc cùm neceſſe haberem explicare, venit mihi in mentem eius definitionis, qua nomẽ Accidentis deſcribitur. Ac profectò res optimè cecidit. Vos enim Cingliani dicitis: Subſtantiam corporis non manere ſaluam, niſi ſit in loco: ac ne omnipotentia quidem Dei fieri poſſe, vt corpus non ſit in loco, idq; localiter. Huic ego, admonitu definitionum Subſtantiæ et Accidentis, oppoſui: locum non ingredi in eſſentialẽ definitionẽ Subſtantiæ corporis, ſed eſſe corporis accidens, quod, iuxta puerilia rudimẽta, adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionẽ poſſit. Nec loquimur de mutatione ex vno loco in alium, vt Bullingerus tergiuerſatur: ſed de loco ſimpliciter, videlicet, quòd ad Subſtantiæ corporeæ cõſeruationẽ, ſicut nõ requiritur abſoluta neceſsitate tempus, ità nec locus: propterea quòd nec tempus, nec locus ingrediantur eſſentialẽ corporis definitionẽ, ſed ſint tantùm accidẽtia eius. Hoc argumentũ cõſtat adhuc inuictũ, aduerſus Bullingerũ. Et cùm nõ poſsit vlla ratione euertere, cõuertit ſe ad conuitia. An nõ (inquiens) iudicabit homo ſobrius ad Sophiſticam inprimis pertinere demonſtrationem aduerſarij de eo inſtitutam, quòd locus ſit corporis accidens, non ſubſtantia? At enim, Bullingere, quisquis ſobrius fuerit, nulla prorſus difficultate videt, te hîc proſtratum

iacere, ac allatrare quidem hanc demonſtrationem, nõ autem mordere poſſe. Vociferaris eam eſſe Sophiſticam: Ergo iudicas eam falſam. Falſum igitur eſt, locũ eſſe corporis accidens, non ſubſtantiam eius: Falſum item eſt, accidens dici, quod poſsit adeſſe, & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem. Hîc iam tibi rixandum erit, non mecum, ſed cum ſchola Philoſophica, in qua pueris notum eſt: locum non ingredi in eſſentialem corporis definitionem: & è qua: go mea ſponte egreſſus, contuli me in ſcholam Spiritus ſancti (quemadmodum paulò antè dicebam) in qua etiam euidentiora extant, quę et commemoraui, teſtimonia, quòd corpus Chriſti euectũ ſit maieſtate ſua ſupra & extra omnem locum: & maneat tamen ſubſtantia ſua verum corpus. Nam quid ſibi velit veſtrum illud axioma, quod nullibi, id eſt, nullo loco eſt, non eſt: et quod Theodoretus de circumſcriptione glorificatorũ corporum ſcribit, ſatis perſpicuè in priori libello expoſui: quæ etiamſi Cingliani pro ſuo ingenio, aut conuitijs allatrant, aut calumnijs peruertere ſtudent: tamen ſpero ea quibuſuis verè piijs, & cognitionem cauſæ ſeriò ſuſcipientibus non eſſe ingrata. Quare quoquo modo Bullingerus ſeſe inuoluat, euoluat, conuoluat, tamen nunc̃ꝫ euincet, vt corpus non poſsit eſſe ſalua ſua ſubſtantia abſcꝫ loco. Tranſirem autem nunc de vno loco ad plura, niſi me calumniæ, et deprauationes aduerſarij̃ apprehenſo quaſi pallio retraherent. Exiſtimant enim me mihi non congruere, quòd dicam (vt ille quidem recitat) corpus nullo eſſe in loco, eſſeq̃ hoc

in

in pluribus, adeoq; in omnibus locis. Hæc eſt iterum malitioſa calumnia, qua Lectori ſignificat, quaſi doceremus, corpus eſſe ſimul in nullo loco, localiter, & in pluribus ac omnibus locis localiter: cùm manifeſtum ſit, nos de cõditione corporis diſſerere: videlicet, quòd corpus retineat ſuam ſubſtantiam, etiamſi non fuerit in vllo loco localiter, aut fuerit in pluribus, adeoq; in omnibus locis, illocaliter: vt ſiue fuerit in vno loco πανταχοῦ, ſiue in nullo, ſiue in pluribus, ſiue in omnibus locis ἀπερίγραπτως, non amittat corporis veritatem. Adimunt enim Cingliani Deo illam potẽtiam, quòd queat corpus ſubſtantia ſua ſaluum conſeruare, etiamſi abſoluat à loco, aut efficiat, vt ſit in pluribus aut omnibus locis. Contra hanc Cinglianorum impietatem docemus, et hactenus euidentiſsimis è ſcriptura teſtimonijs demonſtrauimus, Chriſtum Dominum noſtrum vero ſuo corpore, fuiſſe à loco, hoc eſt, locali conditione exemptum, cùm, iuxta veterum ſententiam, penetraret in reſurrectione, ſaxum monumenti, & clauſas ianuas: implere autem loca omnia, tam ſupera, q̃ infera (non quidem craſſo, ſed cœleſti modo) cùm collocaretur ad dexteram Dei, & eueheretur ſuper omne nomen, non ſolum in hoc, verumetiam in futuro ſeculo. Quæ vt minimè ſunt pugnantia, ſed potius maieſtatẽ Chriſti teſtificantia, ita perſpicuè indicant, animum Bullingeri ſpiritu calumniæ, ita eſſe ſuffocatum, vt omnem captet, quoquo modo poteſt, occaſionem, rectè dicta inuertendi & deprauandi. §. 204. §. 205.

Nam, quòd colloquia Chriſti cũ Paulo in itinere ad Damaſcũ, in tẽplo, et carcere, ex Auguſtino interpretetur

tetur, recitat quidem verba Augustini, sed sordidat ea saliua suæ ipsius phantasiæ, Fingit enim Christum commorari localiter in cœlo Empyreo, longissimè à nobis distanti, & in certas, ac locales mansiones distincto, & inde colloqui cum Paulo. Augustinus autem ignorat fictitium illud Cinglianorum cœlũ. Et cum dicit: Iam non inuenis loqui Christum in terra: Inuenis illum loqui, sed in cœlo, & de ipso cœlo intelligendum est, iuxta sententiam eorum dictorum, quæ testantur. Christum abijsse ex hoc mundo, et deseruisse hunc mundum. Non enim abijt ex mundo hoc, nec deseruit mundum hunc, vt non corà eum tam diuinitate, quàm humanitate sua gubernet & conseruet, sed vt non amplius post ascensum suum in cœlum, in hac terra, terreno modo commoretur, deambulet & loquatur: sed quod facit, faciat in cœlo, & de cœlo, propterea quòd iam cœlestem ducat vitam, & secum vbiq; cœlum, hoc est, summam & cœlestem maiestatem, beatitudinem & fœlicitatem habeat. Quare firmũ adhuc et fixum manet, quòd Christus, filius Dei, maiestate diuinitatis, non solùm æternæ istius, quam habet à patre suo ab æterno, & quam habet cõmunem cum omnibus hominibus, imò cum omnib. creaturis, sed etiam illius, quam filio hominis in vnam personã assumpto, in tempore plenitudinis communicauit, impleat non mille tantùm, aut duo millia locorum, sed cœlum & terram.

Cæterùm quia incidimus in mentionem Augustini, visum est priusquàm, progrediamur, hoc loco perstringere

ſtringere, quod Bullingerus de Auguſtino & Vigilio nobis iterum inculcat. Inprimis, inquiens, propoſueram Brentio ſpectanda et expendẽda duo luculentiſsima ſanctorum Patrum teſtimonia: alterum quidẽ beati Epiſcopi Auguſtini: alterum verò beati Martyris & Epiſcopi Vigilij, &c. Et mox: Nec pigebit me, cùm videam in his magna eſſe momenta, imò cauſæ noſtræ robora, quædã ex ijs repetere. Ac poſt recitationem eorum locorum ſubiungit: Illa ipſa prius quoq; obieceramus aduerſario, qui tamen callidè diſsimulando nihil prorſus ad ipſa reſpondit. Hactenus Bullingerus. Non miror Bullingerum eſſe hominem effrontem & impudentem, quippe quòd hoc videatur eſſe ingenium & natura eius. Illud autem miror, ſi vllus ſana mente præditus impudentiã eius non animaduertat. Dicit me callidè diſsimulando nihil prorſus ad ipſa reſpondiſſe. Somniat fortaſſis, nihil reſponderi, cùm non additur diſertis verbis, & maiuſculis literis: Hîc reſpondetur Auguſtino. Hîc reſpondetur Vigilio. Ac ego quidem non auſim poſtulare, vt tanti Heroes, & Pyrgopolinices, mea, infantis hominis, ſcripta legant. Sed ſiquidem omnino libuit Bullingero cõtra me certamen inire, debuiſſet mea ſcripta paulò attentius & diligentius expendiſſe. Sic enim haud dubiè inueniſſet ad hæc & alia Patrum dicta nunc breue, nunc etiam copioſum reſponſum. In meo ſcripto, quod aduerſus Sotum de Euchariſtia ædidi, tracto hanc cauſam pro mea tenuitate non indiligenter. Ibi recito ipſe hæc Auguſtini

verba: Christus Iesus vbiq; est, per id quod est Deus: in cœlo autem per id quod est homo. Et oppono his alterum locum Augustini, quo priorem ipse euertit: Sic erat, inquiens, filius hominis in cœlo, quēadmodum erat filius Dei in terra. Filius Dei in terra in susceptа carne, filius hominis in cœlo in vnitate personę. Ac rursus: Christus filius Dei secundum diuinitatem, hominis filius secundum carnem. Quis autem nostrū, qui parum aduertimus, aut parum sapimus, non potius ita vellet distinguere: Filius Dei in cœlo, & filius hominis in terra? Sed ne sic diuideremus: & ita diuidendo duas personas induceremus: Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit filius hominis, qui est in cœlo. Christus descendit, idemq; filius hominis, qui filius Dei, sedet in cœlo, qui ambulat in terra: in cœlo erat, quia vbiq; Christus, idemq; Christus, & filius Dei, & filius hominis, propter vnitatem personæ, in terra filius Dei. Propter eandem vnitatem personæ, probauimus esse in cœlo filium hominis. Hactenus Augustinus. Sic erat, inquit, filius hominis in cœlo, quemadmodum filius Dei in terra. Filius autem Dei verè erat in terra, non tantùm generali essentia, verumetiam singulari habitatione in homine, vel, sicut Augustinus dicit, in susceptа carne. Quare erat, & filius hominis, iuxta sententiam Augustini, verè in cœlo, nō tantū quòd τὸ πολίτευμα eius in cœlis fuerit: sed etiam coniunctus sit in vnitate personæ cum filio Dei, qui verè est in cœlo, & in terra, & à quo filius hominis, nullis vnquam locorum spatijs separari potest.

teſt. Hæc è ſcripto de Euchariſtia aduerſus Sotum. In libello de perſonali vnione, reſpondeo, breuiter quidem, ſed quod ſatis eſt ijs, qui veritatem amant & quærunt, ad omnia ea patrum dicta, quæ de abſentia carnis Chriſti à terra alter ab altero excepit. Sic enim ſcribo. Rectè dicit Gregorius: Chriſtus non eſt hîc per præſentiam carnis (videlicet viſibiliter & localiter) qui tamen nuſquam deeſt per præſentiam maieſtatis. In libello de maieſtate Chriſti, ita ſcribo. Priuſquam pergamus, recitabimus adhuc vnum & alterum dictũ Auguſtini, vt cognoſcamus, quòd Auguſtinus, etiamſi videatur aliàs humanitati Chriſti maieſtatem omnipræſentiæ detrahere, & Chriſtum ita diuidere, vt iuxta vulgatam multorum Patrum opinionem, ſolam Deitatem eius vbiq; diffundat, corpus aũt ſeu humanitatem eius, in vno loco collocet ac circũſcribat: veritatem tamẽ nec ignorauerit, nec ſuo loco, cum ſe à Phyſicis imaginationibus auertiſſet, tacuerit, &c. Et iterum, in eodem ſcripto. Huc nunc Patrum dicta conferantur. Sufficit autem in præſentia vnus Auguſtinus pro omnibus. Quantæ enim molis eſſet, in ſingula eorum, quos Cingliani recitãt, dicta, ſingulos ſcribere cõmentarios? Auguſtinus igitur ait. Erat Chriſtus ſecundum viſibilem carnem in terra, ſecundum inuiſibilem maieſtatẽ in cœlo et in terra. Accipio hoc & ſimilia Patrũ dicta, ſi ſecundum ea, quæ ſupià perſpicuis teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, de humiliatione, exaltatione & œconomia Chriſti explicuimus, intelligantur, &c.

Et paulò poſt. Cùm dicitur vel ab Auguſtino, vel ab alijs patribus, Chriſtum eſſe tam in cœlo, quàm in terra, ſecundum inuiſibilem maieſtatem, non eſt intelligendum de diuiſo, ſed de toto Chriſto: non de ea tantùm maieſtate, quam deitas habuit ab æterno, ſed de ea quoque, quam accepit humanitas in Incarnatione: vt quod deitas habuit ab æterno, beneficio ſuæ naturæ, aut eſſentiæ, hoc acceperit humanitas beneficio gratiæ, quam vocant vnionem, ſeu aſſumptionem. Extant & alia in his ſcriptis loca, quibus apertiſsimè, non quidem ad ſingula nominatim, ſed ad vniuerſa patrum dicta, quæ nobis obijci ſolent, ſufficienter, luculenter, & quantum ſatis eſt ei, qui non obſtinauit velle diſſentire, reſpondeo. Et tamen publicè accuſor, quaſi qui Patrũ dicta callidè diſſimulauerim, & NIHIL PRORSVS ad ipſa reſponderim. Adhæc palàm fatetur Bullingerus, ſe idcirco ex his Patrum dictis repetere quædam, quòd videat in his magna eſſe momenta, imò cauſæ ſuæ ROBORA. Manifeſtum igitur ex ipſa aduerſarij confeſsione eſt, quòd Cingliani habeant cauſæ ſuæ robora nõ è ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, quorum authoritas ſacroſancta eſt, & quorum manifeſtis teſtimonijs noſtra cauſa & ſententia nititur: ſed ex ijs, quæ nequaquàm, teſte ipſo Auguſtino, canonicam habent authoritatem. Agimus igitur hac in re aduerſario multas gratias, quòd vel tandem veritati ſua ſponte teſtimoniũ dicat. De quo teſtimonij genere prudenter ſcribit Cicero: Tuum, inquiens, teſtimonium, quod in aliena re

leue

leue esset, id in tua, quoniam contra te est, grauissimũ debet esse.

Sed nec illud prætereundum videtur, quàm belle, aptè, & cõgruenter Bullingerus probet, humanũ corpus, nisi loco circumscribatur, existere non posse. Primùm enim suscipit hoc probandum à vulgari experientia, & publica omnium confessione, testimonioq; exteriorum sensuum. Dicimus, inquit, esse res quasdam naturales inter homines, ita communes, certas, atq; compertas, vt nemo de ipsis dubitet, quin tales sint, quales esse apparent: vt quòd lux natura sua lucet, tenebræ autẽ obscuræ sunt, & ignis calidus, &c. Ac mox. Cum confessum sit apud omnes, proq; compertissimo ab vniuersis habeatur, proprietatem, veritatemq; corporis humani in eo esse, quòd nõ per omnia diffunditur, sed loco, terminisq; suis circumscribitur, denicq; si careat loco, neq; vsquàm sit, planè non extare: quid obsecro, necesse est id argumentis astruere, quod omnes habent pro compertissimo? Hactenus Bullingerus. Quæso te, an nõ est hęc bella & apta probatio. Tractamus hîc de summo religionis nostrę mysterio, & de miraculo omnem humanum captum excedente, videlicet, de incarnatione Domini nostri Iesu Christi, qua filius hominis assumptus est à filio Dei in vnam personam, & qua humanum corpus euectum est super omnes cœlos, & collocatũ ad dextram Dei. Huius autem tanti mysterij & miraculi explicationem iubet nos Bullingerus petere à publica vulgi experientia, & ab ijs rebus, quæ apud homines sunt

cõpertiſsimæ. Quis, obſecro, nõ poſſet hoc modo omnibus ferè myſteriis, & miraculis mediũ digitũ oſtendere, ac probare, mera eſſe figmenta? In Numeris Moſi narratur, aſinam Bileami humana voce locutam & Prophetam increpaſſe. Quis hoc credet? An non inter omnes homines naturale, certum & compertum eſt, quòd aſini non loquantur humana voce, ſed rudant? An non confeſſum eſt apud omnes, procp; compertiſsimo ab vniuerſis habetur, quod ad imitandas humanas voces nihil ſit ineptius, nihil incertius aſino? Quare qui contenderit aſinum humana uoce locutum, de hoc nõ aliud iudicabunt, iuxta Bullingerum, prudentes omnes, vel mentis motæ eſſe hominem, vel inſignem aliquem rixatorem. Nemo, inquit Bullingerus, dubitat, quin lux natura ſua luceat, & tenebræ ſint obſcuræ. Pſalmus igitur cùm dicit: Tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: aut eſt homo emotæ mentis, aut inſignis rixator. In Daniele commemoratur, tres iuuenes coniectos in ignem Babylonicum, propterea quòd recuſarint adorare ſtatuam regiam, ac in igne ſic illæſos ſeruatos, vt ne quidem capillus capitis eorũ fuerit aduſtus. Hîc obſtrepet quiſpiam in ſchola Bullingeri de natura rerum doctus, & exclamabit. Quid? Tùne credis in igne ſeruatos eſſe, etiam capitis capillos? Quis eſt hic furor? An non apud omnes confeſſum eſt, & ab vniuerſis pro compertiſsimo habetur, proprietatem, veritatemq; ignis in eo eſſe, quòd arripiat & deuoret non ligna tantùm, ſed etiam ſaxa & ferrum: & par-

ceret

ceret capillis? Certè, qui contenderit capillos trium iuuenum in Babylonico igni, contra naturam omnibus notissimam, illæsos mansisse, quid aliud iudicabimus, quàm eum esse motæ mentis hominem, aut insignem aliquem rixatorem? Euangelista dicit: Verbũ caro factum est, hoc est, Deus est homo, & homo est Deus. Sed quis hoc credet? Audiamus iudicium omnium hominum: Audiamus sententiã prudentissimorum & potentissimorum virorum, Caiaphę, Pilati, & Phariſæorũ. An non apud oẽs confessum est, & ab vniuersis pro compertissimo habetur, quòd hic homo, quẽ vocant Iesum è Galilęa, non sit Deus? Deus enim non habet corporales manus, nõ habet corporales pedes, non esurit, non sitit, non dolet, non moritur, Hic aũt homo habet tam manus, quàm pedes, sitit, esurit, dolet & moritur, Quomodo igitur potest esse Deus? Hoc volebam, inquit Sathan. Et nunc vides optime Lector, quid causæ sit, cur Lutherus dixerit: Se certum esse, quòd Cingliani nihil credant. His enim fundamentis positis, quæ nobis hoc loco Bullingerus obtrudit, quid aliud sequeretur, quàm doctrinam Christianismi esse verum figmentum, & inanem rixam, propterea quòd pugnet cum ijs, quæ sunt apud omnes confessa, & ab vniuersis pro compertissimis habentur? Sed bene habet. Sinamus Cinglianos suis fundamentis frui: nos autem, quod de proprietate & veritate humanitatis Christi sentiendum est, petamus non ex vulgari hominum iudicio, sed quia incarnatio Christi est miraculum omnia reliqua

liqua miracula, admirabilitate ſua excedens, petamus è iudicio Spiritus ſancti, quod in ſacris literis extat. Hæ literæ teſtificantur, quod filius Dei, aſſumpſerit filium hominis in eandem perſonam: ac non mutet quidem ſubſtantiam filij hominis, ſed ita eam exaltet, & ornet, vt collocet eum ſuper omnes cœlos, ſuper omnes principatus, ſuper omne nomen, idq; ad dextram Dei patris omnipotentis: ad quam cùm ſedeat, omnia habet in manu, omnia habet in proſpectu, omnia præſens regit & gubernat. Deinde, vt Bullingerus videatur non ſolùm niti fundamento ſenſuum exteriorum, ſed etiam aliquid in hac cauſa deferat ſacris literis, producit in medium dicta Hiobis & Pſalmi, quibus ſuſcipit probãdum, tantam eſſe connexionem inter locum & corpus, quod loco ipſo continetur, vt loco remoto velint intelligi nuſq; eſſe corpus, quod collocatur, Id autem non valeret (recito verba Bullingeri) ſi citra locum eſſe poſsit humanum corpus. Age igitur, inſpiciamus illa ſcripturæ teſtimonia. Hiob 7. dicitur: Sicut conſumitur nubes & pertranſit: ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet, nec reuertetur vltrà in domum ſuam, neq; cognoſcet eum amplius locus eius. Quid? Hoccine probat tantam eſſe connexionem loci & corporis, vt remoto loco, corpus nuſq; ſit? Quid poteſt ineptius dici? Hiob magnitudine afflictionis et deſperatione longioris vitæ, in hoc mundo, exclamat ſibi nullam reliquam eſſe ſpem corporalis ſalutis in hac vita: ſed ſe neceſſe habere deſcendere in foueam interitus, è qua non amplius ſit ad hãc vitam

vitam, ad domesticam suam familiam, et ad locum habitationis suæ rediturus. Non negat mortuorum resurrectionem, quam postea manifestè confitetur, sed hîc illud tantùm agit, vt exponat, se propter intolerabiles dolores, in seipso sententiam mortis, è qua non sit reuersurus in hanc corporalem vitam, & priorem suum locum, accepisse. Hoc ne testimonium probat, corpus non posse esse sine loco? Aut si nõ redit ad pristinum suum locum, nusq; erit? An non potest esse in sepulchro? An non potest esse in cœlesti gloria, etiamsi non sit in terrestri loco? An non aliàs Bullingerus dat corporibus mortuorum post resurrectionem certa loca, vel in cœlo, vel apud inferos, etiamsi non fuerint amplius in locis terrenis? Nihilo aptius citatur alter locus ex 20. cap. Hiobis: Velut somniũ auolãs, nõ inuenietur, transibit sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit: neq; vltrà intuebitur eum locus suus. Concionatur Zophar de interitu impiorum, quòd etsi florent aliquandiu insigni huius mundi fœlicitate, tamen in momento ita pereant, vt non amplius inter homines conspiciantur, nec in magnificis suis ædibus commorentur. Necesse enim habent in ictu oculi omnem terrenam suam fœlicitatem, omnia magnifica ædificia & loca, in quibus habitauerant, deserere. Quid? Hoc nè testimonio probatur, corpus, remoto loco, nusq; esse? Quid stupidius excogitari potest? Corpus impij deserit locum suum quem inhabitauit, super terra, nec redibit ad illum locum. Non est igitur amplius corpus, aut nusquam est. Homo

deſerit veſtem (quid enim locus aliud eſt, quàm humani corporis veſtis?) qua indutus erat. Non eſt igitur amplius homo, aut nuſquam eſt, ſcilicet, ſubſtantia rei perit, pereuntibus aut ablatis inhærentibus eius (hoc eſt) homo perit, pereunte, aut abolita albedine eius. Et hæc ſunt fundamenta illa firma (iuxta inſcriptionem libri Bullingeri) quibus tutò quiuis fidelis inniti poteſt.

Remittimur etiam ad Pſalmum 37. in quo iuxta vulgatam translationem ita legitur: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Hebræa autem lectio non habet vocabulum loci, ſed ſimpliciter dicit: Et non eſt inuentus, videlicet, impius, vt referat quod præceſsit: Quæſiui eum, videlicet impium. Etſi autem parum refert, ſiue ſubintelligatur impius, ſiue locus, tamen oſcitantia in re tam ſeria meritò reprehenditur. Nec dubium eſt, quin ſicut priora teſtimonia, ita nec illud probet, quòd humanum corpus, abolito aut remoto loco, nuſquam ſit. Itaq; his emendicatis ad hanc cauſam tam ineptis & detortis teſtimonijs, aduerſarius manifeſtè ſignificat, ſe proſtratum & cæcatum iacere, ac palpare in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. Sed tranſeamus, vel tandem ex vno aut potius nullo loco, ad plura. Cingliani enim pugnant, quòd corpus humanum, ne omnipotentia quidem Dei poſsit, vel abſq; loco, vel in pluribus, multò

multò minus in omnibus locis ſimul eſſe. Nos autem oſtendimus, primùm, autoritate Apoſtolicorum teſtimoniorum, quæ ſunt noſtræ cauſæ robora, quòd corpus Chriſti, non tantùm poſsit ſalua ſua ſubſtantia, abſque loco eſſe, verumetiam euectum ſit ſupra & extra omnia loca: vt omnia, idq; non craſſo, non extenſo, non terreno, non mundano, ſed ſpirituali & cœleſti modo, impleat. Deinde quia Cingliani vociferantur, nos de homine Chriſto & corpore eius excogitaſſe nouum dogma, quod veteri eccleſiæ fuerit ignotum, oſtendimus exemplis admirandæ natiuitatis Chriſti, ſaxi monumenti, & ianuæ clauſæ, quòd veteres Scriptores eccleſiæ ſenſerint, corpus Chriſti ea eſſe prærogatiua, vt poſsit eſſe vnà cum alio corpore illocaliter. Nunc igitur diuina gratia adiuti oſtendemus, eorundem veterum autoritate, quòd corpus Chriſti poſsit eſſe ſimul in multis locis. Non nitimur autoritate humana, quam aduerſarij plurimùm iactant, ſed confirmati autoritate diuina, libenter etiam humanam illi conſentaneam amplectimur. Etſi autem probauimus euidentiſsimis ſcripturæ teſtimonijs, Chriſtum hominem maieſtate ſua tranſcendiſſe omnem creaturam, & omnia tam cœlum, quàm terram implere, vt ea coràm gubernet & conſeruet: tamen, quia Cingliani abhorrent adhuc ab hoc myſterio, ideoque videntur nonnullis in eccleſia non altius conſcendiſſe, quàm vſque ad gradum catechumenorum & neophytorum ſi modò hunc attigerint; non exigemus ab ipſis ſeueriter, vt

f. 225

discant, hominem Christum omnia, maiestate sua, quã habet à Deo communicatam, coràm implere & gubernare: Sed vt illud tantùm elementũ seu rudimentum (id quod etiã in priori scripto attigimus) cognoscant, corpus Christi posse, si non in omnibus simpliciter, certè in pluribus simul locis, in ijs videlicet, in quibus cœna Domini celebratur, adesse. Hoc rudimento, ac velut incunabulis erimus interim contenti. Quod si rectè didicerint, benè sperabimus de profectu ipsorum, vt postea facilè cognoscant, Christum humanitate sua etiã simpliciter in omnibus esse locis. Docebimus autem illud, sicut dicebamus, veterum autoritate, quæ post Propheticam & Apostolicam, omni exceptione maiorem, meritò facienda est plurimi. Sciamus igitur plærosq; omnes vetustioris ecclesiæ Scriptores, quibus etiam se posteriores adscribunt, credidisse, sensisse, & ecclesiam docuisse, quòd in cœna Domini corpus et sanguis Christi verè & substantialiter adsint, & cũ pane & vino sumentibus dispensentur.

Iustinus Martyr, ex vetustissimis & doctissimis Scriptoribus, Apologia secunda pro Christianis, sic scribit. Visum autem est integrum locum adscribere. Nos, inquit, sic ablutum & institutum ad fratres, quos vocant, adducimus, vbi cœtus fiunt, vt tam pro nobis, quàm pro recens illustrato precemur, quò inueniamur per veram doctrinam, & bona opera digni obseruatores mandatorum, custodesq́; : & vt æternã salutem assequamur. Post precationem salutamus nos

mutuo

mutuo oſculo. Deinde offertur præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus, quibus acceptis, laudem & gratiarum actionem patri omnium offert, per nomen Filij, ſanctiq; Spiritus: atq; ita Euchariſtiam aliquandiu celebrat. Poſt preces & Euchariſtiam, totus cœtus accinit. Amen. Ea vox Hebraica lingua ſignificat idem quod FIAT. Abſoluta gratiarum actione præſulis, & ominatione totius plebis, Diaconi, quos vocamus, dant ſingulis præſentibus partem panis & calicis diluti, ſuper quos facta eſt gratiarum actio: atq; etiam deferre ſinunt abſentibus. Hoc autē alimentum apud nos vocatur Euchariſtia, ad quod nemo admittitur, niſi qui credit veram eſſe noſtram doctrinam, ablutus regenerationis lauacro in remiſsionem peccatorum, & ſic viuens, vt Chriſtus docuit. Non enim vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc ſumimus, Sed quemadmodū per verbū Dei caro factus Ieſus Chriſtus, Seruator noſter, carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit: Sic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis, ſacratam ab ipſo alimoniam, quæ mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinem, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe didicimus. Nam Apoſtoli in ſuis ſcriptis, quæ vocantur Euangelia, ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt: ſumpto pane, actisq; gratijs dixiſſe: Hoc facite in mei memoriam. Hoc eſt corpus meum. Similiter ſumpto poculo, actisq; gratijs, dixiſſe: Hic eſt ſanguis meus, & ſolis ipſis communicaſſe. Hactenus Iuſtinus. Sacratam (inquit) ab ipſo alimoniam, quæ mutata, nutrit

noſtras carnes & ſanguinem, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe didicimus, &c. Poſſet nè clarius dici, ſacratam alimoniam, hoc eſt, panem & vinũ Euchariſtiæ, eſſe veram carnem, & verum ſanguinem Chriſti, ac nutrire noſtras carnes & ſanguinem?

Conf. vol. 330. Irenæus, qui & ipſe fuit vicinus Apoſtolorũ tẽporibus, lib. 4. cap. 34. aduerſus hæreſes Valentini & ſimilium, dicit: Quomodo cõſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, CORPVS eſſe DOMINI ſui, & calicẽ SANGVINIS eius, ſi nõ ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, verbum eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes: dat primùm quidẽ fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica. Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à CORPORE DOMINI ET SANGVINE alitur? Et mox. Quemadmodũ, qui eſt à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: Sic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.

Lib. 5. Ac iterum. Quomodo carnem negent capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius: quemadmodũ et Apoſtolus ait, in ea, quę eſt ad Epheſios Epiſtola: Quoniã membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius, non de ſpiritali aliquo & inuiſibili homine dicẽs hæc: Spiritus enim nec̃ oſſa, nec̃ carnes

Conf. vol. 173.

carnes habet: sed de ea dispositione, quæ est secundum hominẽ, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, QVI EST SANGVIS, eius, nutritur, & de pane, QVI EST CORPVS eius augetur. Hactenus Irenæus. Hæc certè non sunt verba eius, qui sentit, corpus Christi & sanguinem eius esse substantialiter absentia, à cœna, in cœlo Empyreo, & panem, ac vinum cœnæ esse tantùm signa corporis & sanguinis absentium, Sed verè esse præsentia, et pane ac vino distribui, vt corpora nostra conseruentur ad resurrectionem.

Cyprianus in sermone de lapsis: Alta, inquit, & erecta ceruix, nec quia cecidit, inflexa est. Tumens animus, & superbus, nec quia victus est, fractus est. Iacens stantibus & integris vulneratus minatur: & quòd non statim DOMINI CORPVS, inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto DOMINI SANGVINEM bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.

Iuuencus lib. 4.

Hæc vbi dicta dedit, palmis sibi frangere panem,
Diuisumq́ dehinc tradit, sanctumq́ precatus,
Discipulos docuit, proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, vinoq́ repletum
Sanctificat gratis verbis, potumq́ ministrat.
Edocuitq́ suum se diuisisse cruorem,
Atq́ ait: Hic sanguis populi delicta remittet:
Hunc potate meum, iam veris credite dictis.

Hilarius

Hilarius lib. 8. de Trinitate.

Nunc & ipsius DOMINI professione & fide nostra VERE caro est, & VERE sanguis (Eucharistia) & hæc accepta & hausta efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

Chrysostomus Homil. 83. in Math.

O quot modò dicunt: Vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tãgis, ipsum COMEDIS. Vestimenta eius desideras videre: ipse vero seipsum tibi tradit, non vt videas solùm, verumetiam vt tangas, & in te habeas. Et mox. Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cædi, sed nos secum in vnam, vt ita dicam, massam reducit: neq; id fide solùm, sed reipsa nos corpus suum efficit.

Idem Hom. 45. in Ioannem: Christus, vt suum in nos desiderium ostenderet, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari, & dentes carni suę infigi, & desiderio sui omnes impleri.

Idem in Epistolam ad Corinthios. Sanguinem gustasti dominicum, & fratrem tuum non agnoscis? Et iterum: Hæc facis, mensæ Christi conuiua futurus, ea præsertim die, qua carnem eius lingua contingere dignus effectus es.

Idem Hom. 2. ad populum Antiochenum: Tanq̃ maximam hęreditatẽ Elizæus meloten suscepit. Etenim verè maxima fuit hæreditas omni auro preciosior. Et erat duplex Elias ille, & erat sursum Elias & deorsum Elias. Noui, quod iustum illum beatum putatis

tatis,& velletis quiſq; eſſe, vt ille. Quid igitur ſi vobis demõſtrauero, quod aliud quid illo multo magis omnes ſacris myſterijs imbuti recepimus? Elias nempe melotem quidem diſcipulo reliquit, Filius autem Dei aſcendens, ſuam nobis carnem diuiſit. Et Elias quidẽ exutus, Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit. Ne igitur decidamus, neq; lamentemur, neq; temporum difficultatem timeamus. Qui enim ſanguinẽ ſuum pro omnibus effundere non recuſauit, & carnem ſuam, et rurſus ipſum ſanguinem nobis cõmunicauit, nihil pro ſalute noſtra recuſabit.

Idem Hom. 61. Parentes quidem alijs ſæpè filios tradunt alendos: Ego autem, inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens. Et mox. Voluifrater eſſe veſter, carnem propter vos, & ſanguinem aſſumpſi. Vobis viciſsim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado.

Quid multis opus? Chryſoſtomus, vbi incidit in mentionem cœnæ dominicæ, tam apertè affirmat veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, vt qui dicta eius alio detorquere audet, impudentiam ipſam ſua impudentia vincat. Non autem eſt dubium, quin recitauerit in concionibus ſuis ſentẽtiam, de cœna Domini, non tantùm ſuis, verumetiam ſuperioribus temporibus in eccleſia vſitatam. Et ea fuit conditio Chryſoſtomi, vt commoratus ſit in medio Sycophantarum, qui ſummo ſtudio omnia tam dicta quàm facta eius obſeruarunt, ſi quid inuenirent, quod ca-

Conf. Vol. 2. 346. 373. 382.

lumniarentur. Quare, si recitasset hac in re doctrinam alienam ab ecclesia, dubium non est, quin Sycophantæ eius vociferationibus suis vniuersum orbem impleuissent, & ad vindictam excitassent.

Conf. Vat. 36. 103. 111. 335.

Cyrillus lib. 4. in Ioannem. Si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui CARNEM ILLAM & gustamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis Iudaicè. Quomodo? quærere: sed recordare, quãuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita, æstuat.

Idem Epistola 10. Necessarium est, vt & illud adijciamus: Dum vnigeniti filij Dei, hoc est, Iesu Christi, mortem secundum carnẽ & resurrectionem ex mortuis annunciamus, assumptionemq; in cœlos confitemur, incruentum in ecclesijs perficimus cultum: atq; ita ad mysticas accedimus benedictiones: ac sanctificamur participes facti SANCTAE CARNIS prætiosiq; SANGVINIS seruatoris nostri omniũ Iesu Christi: nec vt communẽ carnem accipimus, absit: neq; tanq; viri sanctificati, & verbo secundũ dignitatis vnitatẽ coniuncti, vtpote velut diuinã inhabitationẽ adepti, Sed vt verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam.

Idẽ lib. 11. in Ioannẽ cap. 16. Ea de causa, vt puto, conparticipes Christi, ac, vt ita dicã, concorpores, aut cõcorporales gẽtes scribit Paulus, quia SANCTISSIMAE CARNIS eius, & SANGVINIS participes factæ sunt.

Hieronymus ad Rusticum Monachum: Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduę Sareptensis imitator,

Conf. Vat. p. 45.

tator, esuriens pascit alios, & ore pallẽte ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemq; substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui CORPVS DOMINI in canistro vimineo, SANGVINEM portat in vitro.

Et ad Hedibiam. Nos audiamus, panem quem fregit Dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad nos: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et calicem illum esse, de quo item locutus est: Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus noui testamenti.

Et ad Heliodorum: Absit, vt de clericis quicquàm siniſtrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes CHRISTI CORPVS sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus. Et iterum Hedibiæ q. 2. Nec Moses *dedit* nobis panem verum, sed Dominus Iesus, *ipse* conuiua, & conuiuium, *ipse* comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus, &c.

Ambrosius Theodosio Imperatori: Quibus oculis aspicies communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pauimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies SANCTVM DOMINI CORPVS? Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, quando furore verborum tuorum tantus iniustè est sanguis effusus?

Et iterum 1. Cor. 11. Deuoto animo, & cum timore accedendũ ad communionẽ docet, vt sciat mens reue-

rentiam ſe debere ei, ad cuius CORPVS ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficij Dei.

Auguſtinus in ſermone ad Neophytos. Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce. Et: Hoc accipite in calice, quod eſt effuſum de Chriſti latere. In hoc Auguſtini dicto obſerua, non tantùm veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, ſed etiam phraſim loquendi, corpus eſſe in pane, & ſanguinem in vino. Quam tamen phraſim Cingliani in nobis flagellant.

Idem in ſermone 11. de verbis Domini. Illud etiam quod ait: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi ſumus? Nũquid etiam illos poterimus hic accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quod iudicium ſibi manducent, & bibant, cùm ipſam carnem manducent, & ipſum ſanguinẽ bibant? Nũquid & Iudas magiſtri venditor et traditor impius, quãuis primùm ipſum manibus eius confectũ ſacramentũ carnis, & ſanguinis eius, cum cæteris diſcipulis, ſicut apertius Lucas Euangeliſta declarat, manducaret et biberet, manſit in Chriſto aut Chriſtus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant et ſanguinem bibunt, vel cùm manducauerint & biberint, Apoſtatæ fiunt, nunquid manẽt in Chriſto, aut Chriſtus in eis? Sed profecto eſt quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum ſanguinem, quomodo qui mandu-

manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunq; modo quisquam manducauerit carnem Christi, et biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus, Sed certo quodam modo, quem modū vtiq; ipse videbat, quando ista dicebat.

Hîc Augustinus non modò apertè concionatur, in Eucharistia carnem & sanguinem Christi verè esse præsentia, & distribui, verumetiam indignos ea accipere, non quidem ad salutem, sed ad interitum.

Idem lib. 5. contra Donatistas de Baptismo cap. 6. Sicut Iudas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisq; sumens dominicum sacramentum, nō efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia nō ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

Si Augustinus vellet illo suo vulgato dicto: Tolle spacia locorum corporibus, nusquam erunt, veram præsentiam corporis & sanguinis Christi è cœna Domini ita proturbare, vt panis & vinum Eucharistiæ ne pijs quidem & dignis essent verum corpus & verus sanguis Christi, quomodo affirmaret id esse indignis? Corpus, inquiens, Domini, & sanguis eius nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.

Theophylactus in Matthæũ. Porrò dicens: Hoc eſt corpus meum, oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altario, & nõ reſpõdens figura. Non enim dixit: Hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim gratia transformatur, etiamſi nobis videatur panis. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideò panis quidem apparet, ſed caro eſt.

Poſſem præter hæc plura & aperta teſtimonia veterum addere, quibus abſq; vlla obſcuritate fatentur, corpus, & ſanguinẽ Chriſti nõ tanto interuallo abeſſe à cœna, quantùm cœlum diſtat à terra, ſed verè & reipſa, hoc eſt, ſubſtantialiter in cœna adeſſe & diſtribui. Sed quid opus eſt? Scripta ipſa veterum publicè extant, & ſunt ex noſtris, qui dicta veterum de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna diligenter collegerunt.

Etſi enim nonnulli veterum vocant panem & vinum cœnæ Dominicæ, myſteria, ſymbola, Sacramenta, ſigna & figuras, tamen non ſentiunt, ea eſſe ſacramenta ſeu ſigna & figuras rerũ abſentium, ſed præſentium.

Tertullianus alicubi dicit: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit. Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. Sed idem aliàs dicit: Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Nec mi-

mirum eſt, quòd Cingliani decerpant è veterũ ſcriptis, quæ ad ſuum figmentum de cœna Domini torqueant: cùm ne apertiſsima quidem verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum : Hic eſt ſanguis meus, inuiolata prætereant, quin ea ad ſuum ſenſum inflectant, & id cogant dictis contineri, quod antè præſumpſerint intelligendum. Sed vtcunq; ſeſe conuoluant & contorqueant, certè veteres, ſi perpetuam eorum ſententiam rectè conferas & expendas, verba Chriſti de cœna ipſius non aliter intelligunt, quàm quòd corpus Chriſti & ſanguis eius in cœna verè adſint, & in pane ac vino ſumentibus diſpenſentur, dignis quidem ad ſalutem, indignis ad condemnationem. Qua in re prouocamus ad iudicium omnium piorum hominum, qui in lectione veterum diligenter ſunt verſati. Et quia Satan non ſolet mendacium, niſi antè poſito veritatis fundamẽto, extruere, Papiſtæ nunquam fuiſſent auſi confingere, et in eccleſiam introducere ſuam tranſſubſtantiationem, niſi antea veram corporis & ſanguinis Chriſti in cœna præſentiam, à veteri eccleſia accepiſſent.

Quæ, cùm ita ſe habeant, redeamus ad noſtrum inſtitutum. Vetus eccleſia ſenſit, corpus & ſanguinem Chriſti verè eſſe præſentia in cœna, & corpus quidem pane edendum, ſanguinem verò vino bibendum diſtribui, quemadmodũ paulò antè oſtẽſum eſt. Cœna aũt Domini nõ ſolet, ſicut nec his tẽporibus, ita nec

nec in veteri ecclesia, vni tantùm & alteri, sed etiam multis simul sumentibus, nec diuersis tantùm temporibus, sed etiam vno eodemq; tempore in mille locis, imò in multis locorum myriadibus dispensari. Cum igitur vetustas senserit, corpus & sanguinem Christi in cœna verè adesse, & distribui, certe ea in tot etiam myriadibus locorũ simul vno eodemq; tempore (non quidem crasso sed cœlesti modo) adesse, senserit necesse est. Quid ergò? Non volumus in præsentia erga Cinglianos tam seueri exactores esse, vt cognoscant mysterium omnipræsentiæ Christi: sed tantùm vt agnoscant, quod veteres Catechumenis & Neophytis suis tradiderunt, corpus Christi posse retinere veram corporis substantiam, etiamsi non fuerit in vllo loco, aut fuerit in multis locis simul. Nam cùm initio scriberem de omnipræsentia humanitatis Christi, nõ tam rationem habebam Cinglianorum (quos quia videbãt adhuc in Physicis corporum locationibus hærere, inter carnales deputaui) quàm nonnullorũ ex nostris, qui fatentur, & corpus Christi posse absq; loco esse, & in cœna verè præsenter dispensari: vt demonstrarem, ex quo fonte haustum sit, quòd detestemur magicam illam cœnæ consecrationem, quam Papistæ exercent: & ex quo sacræ scripturæ fundamento D. Lutherus, fœlicis memoriæ, Cinglianum dogma de absentia corporis & sanguinis Christi à cœna refutauerit, & damnauerit. Non est igitur, quòd Cingliani sumant sibi mysterium omnipræsentiæ Christi, hoc rerum ipsarum statu vel cognoscendum vel abominandum

nandum. Sufficiet, vt interim elementa huius cœlestis doctrinæ discant, donec carnalibus & puerilibus cogitationibus aliquo modo liberati, in vera Christi schola grandescant. Cæterùm vt omninò intelligant, nos esse præceptores minimè πλάκτας, largiemur ipsis & illud, vt pro more hominum imbecillium imaginentur, Christum hominem sedere aut stare in aliquo certo loco: simodò crediderint, quòd Apostoli, cùm adhuc essent imbecilliores, quàm vt omnia possent portare, crediderunt.

Cum enim Christus institueret cœnam, & mandaret eam vsq; ad reditũ suum in nouissimo die seruandam, nondum ascenderat in cœlum, nec maiestas eius erat resurrectione & missione spiritus sancti illustrata: sed erat adhuc in hac carne mortalis, & accũbebat cum Apostolis in certo loco. Nihilominus tamẽ, cùm acciperet panem, & porrigeret eum Apostolis cum his verbis: Accipite, edite, Hoc est corpus meum, Apostoli simpliciter crediderunt, & sumpserunt, nihil respondentes: Quid? videmus te coràm in certo loco nobiscum accumbere, quomodo igitur potes nobis singulis corpus tuum, in pane vescendum exhibere? quomodo corpus tuum potest esse in tot locis, quot sunt particulæ panis? Ne omnipotentia quidem Dei fieri potest, vt vnum corpus, quod est in certo loco, queat vel in nullo loco, vel in multis locis esse? Nihil inquam tale Apostoli obiecerunt Christo visibiliter accumbenti, sed sumpserunt panem & corpus in pane porrectum obedienter. Præstent Cingliani eandem

dem ſimplicitatem, & erimus interea contenti. Cogitent ſanè (ſiquidem nõ poſſunt in conſideratione corporum, mentem ſuam à ſpeculatione geometrici ſpatij auertere) Corpus Chriſti in vno certo loco cœli verſari: dummodo ſentiant, idem corpus poſſe etiam inuiſibiliter in ſingulis locis, in quibus cœna celebratur, adeſſe, & ſumentibus diſpenſari. Itaq; non neceſſarium eſt, vt ineant nobiſcum certamen de præſentia humanitatis Chriſti in omnibus locis, in cœlo & in terra: ſed exerceant ſe in his elementis, quæ ſolent in eccleſia catechumenis proponi.

At enim, vt maximè hoc ab alijs impetraretur, non poſſet tamen à Bullingero impetrari, quippe qui tanto eſt mentis ſtupore, vt non ſolùm vſitatiſsimas in eccleſia regulas ignoret, verumetiam ſumma eas cõtumelia dãnet. In priori enim libello, de maieſtate Chri-
Pag. 77. ſti, inter alia, poſui etiã illa verba. Expoſuimus iam ſpicuè, quòd homo Chriſtus tunc aſcenderit ad diuinam maieſtatem, cùm aſſumptus eſt à filio Dei in eandem perſonam: quam etiam maieſtatem teſtificatus eſt ante mortem et reſurrectionem ſuam variis argumentis, &, vt Petrus ait, virtutibus, prodigijs & ſignis. Quare cum dicitur, tum primùm exaltatus, cùm aſcendit in cœlum, & miſit Spiritum ſanctum, intelligendũ eſt iuxta vulgatam regulam, qua res tunc dicitur fieri, cùm incipit manifeſtius patefieri. Vnde Roman. 1. ſcribit Paulus: Qui declaratus (inquiens) fuit filius Dei, cum potentia, ſecundũ ſpiritum ſanctificationis, ex eo quòd reſurrexit à mortuis, etc. Hactenus recẽſui

verba

verba libelli. Audiamus vicissim qua pietate, scilicet, & modestia excipiat ea Bullingerus. Visum autem est integrum locum adscribere. Nam veretur (inquit) ille (Brentius) clara alioqui loca scripturæ Ioan. 7. & Philippen. 2. capite attestantia Christum ante passionem assumptionemq; in cœlum non fuisse glorificatum, obscurare: ideoq; solito suo more regulam CONFINGIT, dicens: Scripturam dicere, tunc fieri rem aliquam, cùm incipit patefieri manifestius. Ad hanc mox confirmandam detorquet verba Apostoli ad Rom. 1. cap. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, etc. Sed hęc sunt inania solitę garrulitatis eius verba. Quis enim nesciat ὁρισθὲν significare apud Apostolum demonstratus, & certò pronunciatus, & quasi irrefragabiliter conuictus: ideoq; sensum esse, per potẽtiam, per resurrectionem, & per Spiritum sanctum manifestissimè patere, quòd Christus sit verus Dei filius. Dùm ergò regulam suam nobis non approbauit, non grauatim ei, quod suum est, relinquimus. Condant licet alij, prout libet, leges & regulas, quibus ad institutum suum scripturas detorqueant: pij tamen, vt eas non coguntur recipere, ita ipsas iure possunt reprehendere. Hactenus Bullingerus. Quid ergò primùm ad hæc faciam aut dicam? Admirer ne insignem Bullingeri, seu impudentiam seu inscitiam, an commiserer manifestã vertiginem eius? Quam enim regulã vociferat meũ figmentum, & inania solitæ garrulitatis verba, ac iure reprehẽdenda, ea nihil fuit hactenus inter studiosos ecclesiasticæ doctrinæ vulgati? et decãtatius. Nã vt omnib.

eſſet notiſsima, collata eſt in publicas ſententias, quas Longobardus collegit. Cogito quidem Bullingerum ad huius autoris mentionem cõfeſtim vel arriturum, vel qua eſt grauitate, frontem corrugaturum: ſed maneat pauliſper, dum verba autoris recitauero & oſtẽdero vnde hæc regula ſumpta ſit. Futurum tunc ſpero, vt ſupercilium deponat, & criſtas ſubmittat. Sic autem ſcribit Longobardus. Nec tantùm, inquiens, gloriam impaſsibilitatis, & immortalitatis meruit, ſed etiam donari ſibi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ſcilicet honorificentiam, quod vocatur Deus. Hoc tamen nomen ante mortem habuit. Habuit enim hoc nomen Dei filius in quantum Deus eſt ab æterno, per naturam: in quantum verò eſt homo factus, habuit ex tẽpore per gratiã. Verùm Auguſtinus dicit, homini donatum eſſe illud nomen, non Deo, &c. Et mox. Hoc igitur per gratiam accepit, vt ipſe ens homo, vel ſubſiſtens in forma ſerui, id eſt, in anima & carne, nominetur & ſit Deus. Sed nũquid hoc meruit? Suprà enim dictũ eſt: Quia hoc tantum bonum homo ille non meruit. Quomodo ergò hîc dicitur, propter obedientiam donatum eſt ei hoc nomen? Secundum tropum illum in ſcriptura CREBERRIMVM hoc accipiendum, quo dicitur res fieri, quando innoteſcit. Poſt reſurrectionem verò, quod antè erat, in euidenti poſitum eſt, vt ſcirẽt homines & dæmones. Hactenus verba Longobardi. Nunc ergò exclamabit Bullingerus, ad ollas Aegyptiacas. Exclamet, quod libet, certè etiamſi hæc regula eſſet hominis figmentum

Lib. 3. Diſt. 18.

mentum, tamen nunc manifestum est, quod nõ sit meum, meum, inquam, figmentum. Sed vt vanitas & impudentia Bullingeri adhuc apertior reddatur, ostendam, hanc regulam non esse nec à me, nec à Longobardo confictam, sed ab Augustino, qui aliàs est robur Cinglianorum, ecclesiæ traditam. Is enim exponens locum Pauli 1. Cor. 15. Oportet illũ regnare, etc. Genere, inquit, locutionis soluitur quæstio. Sic enim plerunq; scriptura loquitur, vt quòd semper est, tunc fieri dicatur ab aliquo, cùm in eo cognosci cœperit. Ita enim dicimus in oratione: Sanctificetur nomẽ tuum, quasi aliquando non sit. Ergò sicut sanctificetur, est, sanctum esse innotescat: ita quoq; cùm tradiderit regnũ Deo & patri, id est, cùm patrem regnare monstrauerit, vt per speciem manifestationemq; clarescat, quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur. Et mox. Oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos subpedibus suis, id est, oportet regnum eius in tantum manifestari, donec omnes inimici eius ipsum regnare fateantur. *In lib. 83. quæstionum, q. 69.*

Et aliàs super Nume. Sanctificatus est (inquit) in ipsis, cum illo miraculo profluentis aquæ, sanctitas eius declarata est. *Super Nu. cap. 26. q. 36.*

Ac rursus super Deute. Scire pro scire facere. Et cognoscere pro cognita facere, quæ in corde sunt.

Et in Psalm. 36. Nescit, cùm nescire nos facit. Nouit, cùm cognoscere nos facit, MODO, inquit, quodã locutionis, & regula intelligentiæ à contrario.

Similiter Cyrillus tractans illum Petri locum:

certò sciat tota domus Israel, quòd Dominum & Christũ fecerit Deum hunc Iesum, quem vos crucifixistis: exponit (Fecerit) pro declarauerit.

Possem multa id genus alia in medium producere, sed ista in præsentiarum sufficiunt. Vides ergò nunc, optime Lector, quanta sit vanitas, quanta impudentia Bullingeri. Quod est in vniuersa ecclesia decantatum, quod est ab Augustino disertis verbis ecclesiæ traditum, quod est ex tot sacrę scripturæ locis collectum, comprobatum, & in verè piam regulam collatum, hoc audet impudens homo publicè vociferari meum figmentum, mea inania verba, meam solitam garrulitatem, & regulam iure reprehendendam. Ac siquidem hæc regula per se esset figmentum, quale est cœlum Empyreum, nullo iure indignarer, etiamsi diceretur figmentum MEVM, quòd ipsum approbarem: sed quia est veritas scripturæ testimonijs approbata, meritò explodenda est vanitas Bullingeri. Et hæc sunt fundamenta eius firma, scilicet, quibus fidelis quiuis tutò inniti potest,

Est & illud non obscurum seu impudentię seu emotæ mentis argumentum, quod scribit, me detorquere verba Apostoli ad Roman. 1. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, & exponit vocabulum ὁρισθέντος, quo Paulus vtitur pro demonstratus, certò pronunciatus, & quasi irrefragabiliter conuictus. Quæso autem te, an nõ hac expositione planè illud ipsum affirmat, quod ego dicebam? & quod translatio his tẽporibus vsitata habet? Quid enim demonstratus, certò pronunciatus,

& quasi

& quasi irrefragabiliter conuictus, aliud est, q̃ DECLARATVS? Sed age, Bullingerus non patiatur vertiginẽ, non insaniat, ego verò detorserim verba Apostoli, & falsò ad vsitatam regulam accommodauerim, Falsum ergò erit, quòd Christus fuerit verus filius Dei ante resurrectionem: sed tum demum factus sit filius Dei, cùm resurrexit à mortuis. Quid autem hac impietate abominabilius? Et tamen Bullingerus eã innuit, cùm reprehendit & damnat, quòd ostendã, Christũ verum quidem fuisse filium Dei ante passionem, mortẽ & resurrectionem: hoc autem tum demum, iuxta Apostolum, innotuisse, & palàm declaratum esse, cùm à mortuis resurrexit. Sed vertigo Bullingeri non est inusitata. Remittit enim nos ad prius suum scriptum, in quo, cum meam sententiã de glorificatione Christi reprehenderet, nunc huc, nunc illuc vacillat, nunc ait, nunc negat, & balbutit, nescio quę de duplici gloria Christi, sedita, vt de industria inuoluat, quæ ego clarissimè exposui, nec quicq̃ pensi habeat, dummodò immani suæ reprehendendi & calũniandi libidini indulgeat. Meminit etiam aliàs deificationis, & ita de ipsa disserit, perindè ac si ego hominẽ Christum mutarem in Deum. Sed quicquid nugetur vanitas, certè mea sententia, quam verè piam esse, haudquaquam dubito, tam de deificatione, quàm de glorificatione, perspicuè extat, cuius hæc ferè summa est. Primùm de deificatione, etsi non memini me hoc vocabulo vsum, tamen si rectè intelligatur, non abhorreo ab ipso. Sunt & veteres scriptores hac voce in eodem argumento vsi.

Nam

Nam qui piè ſentiunt, hi, cùm dicunt, hominem eſſe deificatum, non hoc volunt, quòd homo amiſerit humanitatis eſſentiam, & mutatus ſit in Deũ, ſed quòd homo aſſumptus ſit à Deo, in eandem perſonam, & ornatus omnibus donis deitatis. Hoc eſt quidem ex homine facere Deum, non eſt autem hominem mutare in Deum, quemadmodum ſuprà copiosè explicatum eſt. Deinde quod ad glorificationem attinet, manifeſtum eſt, quòd filius Dei aſſumendo filium hominis ab initio Incarnationis, in eandem perſonam, copulauerit, & ſociauerit ſibi eũ, tanta vnitate, vt Euangeliſta rectè dicat: Verbum caro factum eſt. De qua re in libello de maieſtate Chriſti ſic ſcripſi. Non eſt ſentiendũ, quòd humanitas Chriſti tũ primùm exaltata ſit in ſummam ſublimitatem, & acceperit omnem poteſtatem in cœlo & in terra, cùm aſcendit viſibiliter ex monte Oliueti in cœlũ, Sed cùm verbum caro factum eſt, & cùm in vtero virginis Deus aſſumpſit hominem in eandem perſonam. Quæ enim maior eſt exaltatio, quæ eſt excellentior ſublimitas, quàm cùm homo aſſumitur à Deo in vnitatem perſonæ, & fit Deus ipſe? Hoc autem non tum primùm factum eſt, cùm Chriſtus reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum viſibiliter, ſed factum eſt, cùm in vtero virginis incarnaretur: Nec tùm primùm dixit Dominus Domino noſtro: Sede à dextris meis, cùm nubes ſubduxit eum in monte Oliueti, à conſpectu diſcipulorum, Sed cùm Maria ad angelum diceret: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et mox.

Pag. 76.

Non

Non tum primum Ieſus factus eſt DOMINVS & CHRISTVS, cùm effudit Spiritum ſanctum in Apoſtolos, ſed quod iam ab Incarnatione fuit, in reſurrectione & aſcenſu in cœlum, ac miſsione Spiritus ſancti, clarioribus, & efficacioribus argumentis, quàm antea miraculis, qualia etiam Prophetæ quondam deſignauerãt, patefactum eſt, & declaratum. Hactenus in libello de maieſtate Chriſti. Si ergo Bullingerus hæc negat, & damnat, non iam impudens tantùm, verùm etiam planè impius habendus eſt. Damnat enim, hominem ab initio Incarnationis à Deo in vnitatem perſonæ aſſumptum, & factum eſſe Deum: hoc eſt, damnat Verbum, ſeu τὸν λόγον, (vt verbis Euangeliſtæ vtar) factum eſſe carnem. Si autem non negat, nec damnat, quod reprehendit? quid latrat? quid grunnit? Somniat hęc Euangeliſtæ dicta: Nondum erat Spiritus ſanctus, quia Ieſus nõdum erat glorificatus. Et: Hæc nõ cognouerunt diſcipuli eius primũ, ſed quãdo glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt, quòd hæc de ipſo eſſent ſcripta. Ac rurſus: Pater glorifica filium tuum, &c. Somniat, inquam, hæc dicta cum mea ſententia pugnare. Si antea erat, inquiẽs, glorificatus, quomodo ſe glorificari poſtulabat? Sed quomodo Chriſtus fuerit initio Incarnationis, quomodo item in reſurrectione & miſsione Spiritus ſancti, exaltatus & glorificatus, hoc inexplicatione eius loci, quẽ Paulus de humiliatione, & glorificatione ad Philippenſes capite 2. ſcripſit, adeo diligenter conatus ſum oſtendere, vt ſperem pios & doctos quoſcp; nihil deſideraturos. Videlicet

quòd Christus fuerit ab vtero matris exaltatus & glorificatus: non quòd tunc exaltatio & glorificatio eius fuerit omnibus conspicua & manifesta, nam tunc hæc manifestata est, & publicata, cùm resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, ac misit Spiritum sanctum: sed quòd in Incarnatione verè sit à Deo in vnitatem personæ assumptus, ideoq; ornatus omni forma & maiestate Dei, quam tamen tempore exinanitionis non palàm, nisi quatenus ad testificandam doctrinæ veritatẽ satis erat, ostentauit. Apud Ioannem, cùm Christus aquam mutasset in vinũ, dicitur: Hoc edidit initium signorum, Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam. Cùm ergo dicitur, Spiritum sanctum nondũ fuisse, quòd Iesus nõdum fuerit glorificatus, significat, admirandum donum Spiritus sancti nondum in Apostolos effusum, & maiestatem eius, quam iam inde ab initio Incarnationis habuit, nondum fuisse publicè patefactã, & vulgatam. Et cùm Christus orat: Pater glorifica me, non petit noua gloria, qua hactenus caruerit, ornari, sed, glorifica, inquit, me pater apud temetipsum gloria, quam HABVI, priusquàm hic mundus esset apud te. Petit igitur, vt hæc gloria patefiat, & notum fiat hominibus, quòd ea sit etiam humanitati suæ communicata. Ac breuiter, petit, vt manifestum fiat, quòd verbum sit caro factum. Potestatem, inquit Cyrillus, quam post resurrectionem sibi datam dicit, ante resurrectionem quoq; habebat. Nam si non habebat, quomodo repulit Diabolum, dicens: Vade retrò Satana? Et quomodo discipulis potestatem aduersus dæmonia dedit?

In Thesaurо lib. 10. cap. 2.

dedit? Hæc & id genus alia, cum antea, qua potui perſpicuitate, ex eo Pauli loco, qui eſt de exinanitione, & exaltatione Chriſti, exponerẽ, nontamẽ dimittor abſq; ſannis. Nugatur enim aduerſarius, me mihi in eo loco explicando mirè placere. At enim illud tu ſcias, Bullingere, me mihi placere haudquaquam: ſcio quis & qualis ſim, & me meo pede metior. Mirificè autem placet mihi dictum Pauli, quo oculi veſtri ita perſtringũtur, vt palpetis in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.

His ſannis adijcitur alicubi virulentus σαρκασμός. Cùm enim dicerem de forma & maieſtate, qua Chriſtus eſt in cœleſti regno, addidi, quòd Chriſtus non verſetur Phyſico modo in cœlo Empyreo, in quo ſtet, ſedeat aut ambulet, ſed ſit in cœleſti regno ea maieſtate, quam nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec cor hominis cogitat. Similiter cùm oſtenderem, Chriſtũ omnia implere, addidi, non quidẽ craſſo, mundano, & Phyſico modo, ſed cœleſti, et nobis inconprehenſibili modo, quem oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hæc ſententia, verba ſunt Spiritus ſancti, & extant initio apud Eſaiam. Deinde recitantur à Paulo, ad compeſcendam inſolentiam humanæ rationis, vt non ſcrutetur modum & rationem earum rerum, quæ nobis in futuro ſeculo, & in cœleſti regno ſunt diuinitus præparatæ. Bullingerus autem, vt haud obſcurè teſtificetur ſatanicam ſuam virulentiam aduerſus oracula Spiritus ſancti, & Epicureum ſuum animum,

Fol. 163.

Eſa. 64. 1. Cor. 2.

qui ſpem cœleſtis noſtræ ſalutis, ſecum rideat, ſponte, inquit, damus aduerſario modum illum, quem infinito ſuo corpori tribuit, quo videlicet vbiq́, ſic & infera pariter & ſupera adimpleat. Nullus enim piorum, prudentiumq́ virorum vnquam ab orthodoxa vetuſtate audiuit, nullus vnquam in ſacris libris vidit, neq́ vllius animũ vnquam ſubijt, aliud, quàm verum corpus, ſuum locum, & ſua membra, ſuamq́ ſubſtantiam retinere, &c. Hoc certè non eſt me, ſed Eſaiam, & Paulũ, imò Spiritũ ipſum ſanctũ ridere, qui & ipſi de modo & ratione earum rerum, quæ nobis in cœleſti gloria contingent, diſſerentes, iiſdem verbis, quibus ego vſus ſum, docent, eum modum nobis in hac vita eſſe incomprẽhenſibilem. Nam ſi rationem eius maieſtatis, qua nos homines in futura vita fruemur, nullus oculus vidit, nulla auris audiuit, nullum cor hominis cogitauit, quantò minus nec oculus, nec auris, nec cor hominis percipere aut intelligere poſſunt eam maieſtatem, qua filius hominis in vnitatem perſonæ filij Dei aſſumptus, & ſuper omnia euectus, in cœleſti ſuo regno ornatur? Bullingerus autem, niſi eum modum ſua aure audiat, ſuo oculo videat, ſuo corde intelligat, niſi videlicet Chriſtum corpore ſuo in vno tantùm loco cœli Empirei inueniat, & ipſum aut ſedentem, aut ſtantem, aut deambulantem videat, non ſolùm ipſe ridet, ſed exiſtimat etiam omnes prudentes & pios viros, omnem orthodoxam vetuſtatem, vniuerſamq́ ſacram ſcripturam ridere. Nec mirum, metitur etiam alios è ſuo ingenio: & cum ipſe non poſſit ſeſe ſupra carnales

nales ſuas cogitationes attollere, arbitratur, omnes homines ſimiliter affectos. Miſerrimum hominum genus, qui, etiamſi toties in ſchola eccleſię audiuerũt myſterium Incarnationis eſſe ineffabile & incomprehenſibile, tamen, niſi ipſis ſit effabile & comprehenſibile, putant eſſe vanum ſomnium. Hoc autem myſterium idcirco dicitur (ſiquidem propriè volueris loqui) ineffabile, non quòd Deus ſit in homine Chriſto, ſic enim conditio cuiuſuis hominis dicendum eſſet myſterium ineffabile, vt certè eſt miraculum non inter extrema ponendum, ſed quia Deus, qui eſt natura ſua infinitus, aſſumpſit hominem, qui eſt natura ſua finitus, in eandem perſonam, & ornauit eam bonis infinitis: inter quæ & illud continetur, quòd extulerit eum hominem in ſummam altitudinem & celſitudinem, quæ nihil aliud eſt, quàm omnipræſentia, & omnium rerum gubernatio. Hoc eſt in oculis quidem noſtris miraculum, reliqua omnia multis modis excedens: non eſt autem tale, quod omnipotentiam Dei, tot ſacræ ſcripturæ teſtimonijs explicatam & confirmatam, ſuperet.

Et quia fecimus hîc mentionem omnipotentiæ Dei, reſpondebo paucis ad ea, quæ Bullingerus de ipſa concionatur. Etſi enim ſtatueram has φλυαρίας eius preterire, quippe quòd nõ dubitem, quin attentus lector, qui cognitionem cauſæ ſuſcipiat, apertè videat, me in meo ſcripto, & pia de omnipotentia Dei recitaſſe, & nullam prorſus iniuriam nec Martyri, nec Bullingero feciſſe: tamen ne iterum queratur, ſibi nihil reſponde-

ri, agite dum, exponam dilucidè, in quo ſtatu verſemur. In præſentia enim non hoc quæritur, num Deus ſit omnipotens. Exiſtimo enim Cinglianos hoc non negare (quanquam, ſi Luthero creditur, non credant) Nec hoc quæritur, num ex omnipotentia Dei, quæuis ſint colligenda: non enim eſt dubium, quin Deus multa poſsit, quæ non facit. Nec hoc quæritur, num quædam ſint, quæ Deus facere non poſsit. Manifeſtum enim eſt, quòd cum Deus ſit longè omnium perfectiſsimus & conſtantiſsimus, non poſsit ea, quæ ſunt vel imbecillitatis vel inconſtantiæ, quemadmodum clarè in priori ſcripto explicuimus: hæc autem impotentia in rebus eſt ipſis, non in Deo. Sed illud in præſentia quæritur: Num, quod Cingliani ſentiũt, corpus Chriſti non poſſe ne quidem omnipotentia Dei, vel abſq; loco ſaluum conſeruari, vel in multis ſimul locis eſſe, referendum ſit inter ea genera, quæ nullo modo fieri poſſunt? De hac quæſtione nominatim eos in meo ſcripto aliquoties admonui. Et quia manifeſtè dicunt, quòd ne omnipotentia quidem Dei efficere queat, vt humanum corpus conſeruetur ſaluum, vel abſq; loco, vel in multis ſimul locis, vel vbiq;: idcirco rectè & iuſtè connumeraui eos cum Plinio & reliquis Epicureis. Sicut enim Plinius inter ea, quæ ſunt Deo impoſsibilia, recenſet & illa: mortales æternitate donare, & reuocare defunctos, quæ tamen iuxta Propheticam & Apoſtolicam doctrinam, non ſolùm ſunt Deo poſsibilia, verùm etiam facilia, & certiſsimè futura:

ta Cin-

Ita Cingliani recẽſent inter ea, quæ Deo impoſsibilia ſunt, etiã illud, quod iam de humano corpore cõmemoratum eſt, Cùm tamen hoc in corpore Chriſti nõ tantùm ſit factum, ſed etiam ſemper, pro maieſtate eius reuera fiat, quemadmodum et in prioribus ſcriptis, & ſuprà in hoc ſcripto, euidẽtiſsimis tam ſacræ ſcripturæ, quàm veterum ſcriptorum teſtimonijs demonſtrauimus. Quid enim efferri ſuper omnes principatus, & ſuper omne nomen in hoc & futuro ſeculo, aliud eſt, quàm præter alia, etiam ſuper omnia loca ſuis ſpacijs circumſcripta efferri? Quid docere corpus Chriſti eſſe verè in cœna præſens, & in pane diſpenſari (quod veteres docuerunt) aliud eſt, quàm corpus Chriſti ſaluum abſq; loco, & in plurimis ſimul locis conſeruari? Ac rectè quidem dicitur, non quæuis ex omnipotentia Dei colligenda eſſe. Illa autem ſunt ex omnipotentia eius colligenda, quæ verè ex voluntate & verbo eius colliguntur. Manifeſta verò eſt voluntas Dei, manifeſtum eſt verbum Dei, quòd filius hominis ſit aſſumptus à filio Dei in vnitatem perſonæ: & quòd Chriſtus ſit vnà cum corpore ſuo euectus, ſuper omnes cœlos, ſuper omnes principatus, ſuper omne nomen, ſuper omnem locum: vt in maieſtate ſua vſq; adeò non concludatur vllo circumſcripto loco, vt potius omnia cœleſti modo impleat & gubernet. Quare his Cinglianis, qui affirmãt, ne omnipotẽtia quidẽ Dei fieri poſſe, vt humanũ corpus abſque loco vel in multis ſimul ſaluum conſiſtat, non

fit iniuria, quòd annumerentur cum Plinio, & reliquis impijs, omnipotentiam Dei oppugnantibus. Ac nisi resipuerint, annumerabuntur tandem cum Satana & omnibus angelis eius in æterno barathro.

Exposui iterũ, quanta breuitate (nisi si quid me aduersarij, calumniosæ obiectiones καὶ φλυαρίαι, quarũ tamen plurimas de industria, tanq̃ responsione indignas pręterij, me fuerint remoratæ) & quanta licuit perspicuitate, quid sibi velit, & quatenus se extendat personalis vnio duarum naturarum in Christo (hoc est) Incarnatio vnigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Etsi enim hoc mysterium tam admirandum est, vt superet omnem humanum intellectum, tamen operæ prętium est, vt in ipso cognoscendo eò progrediamur quò nos in his tenebris Spiritus sanctus luce scriptorum Propheticorum & Apostolicorum ducit. Hæc (inquit filius ipse Dei) est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sciamus igitur Incarnationem Christi non hoc propriè significare, quòd filius Dei, qui ab æterno, à Deo patre suo ineffabiliter genitus est, inhabitet in Christo, filio hominis, semine Abrahæ, & impleat eũ sua essentia, ac communicet cum eo nonnulla tantùm deitatis suæ beneficia, Nam si Incarnatio hoc tantùm significaret, nihil impediret, quò minus filius Dei diceretur, cum quouis hominum incarnari: Implet enim sua essentia omnes homines, & non solùm conseruat eos in vita, verumetiam illustrat eos multis radijs suæ deitatis, sapientia, sciẽtia, fortitudine, & id genus alijs.

Sed

Sed illud significat, quòd filius Dei inhabitatione sua in semine Abrahæ, & impletione eius, non simpliciter in eo commoretur, et aliqua tantùm deitatis suæ beneficia ipsi cõmunicet, verum effundat in ipsum omnem maiestatis suæ thesaurum ac plenitudinem, & habeat cum ipso omnem suam potentiam, sapientiam, iustitiam, præsentiam & gubernationem communem. Itaq; discrimen inter Christum, & alios homines non constat propriè inhabitatione filij Dei, in filio hominis, sed communicatione Idiomatum, (hoc est) diuinarum proprietatum, quibus filius hominis ab inhabitante filio Dei ornatur, seu præ consortibus suis, iuxta scripturæ verba, vngitur. Nec obstat dimensitas humanę naturæ immensitati diuinæ, quò minus hæc illi infinita bona communicet. Nam si nihilum ipsum non potuit diuinæ maiestati obstare, quò minus ex eo cœlum & terram & omnia, quæ in eis sunt, conderet, multò minus potuit ei obstare angustia humanę naturæ, quò minus fieret augustissimum receptaculum omnium cœlestium & diuinorum beneficiorum. Et hoc loco obseruãdus est vetus Canon: Quod conuenit filio Dei per naturam, hoc conuenit filio hominis per gratiam: exceptis ijs, in quibus exprimitur vnio (sicut superius seculũ, suis verbis loquebatur) & includitur negatio, (hoc est) Personalis vnio duarum naturarum in Christo, non est ita intelligenda, quòd diuinitas mutetur in humanitatem, aut quòd humanitas fuerit ab æterno, aut quòd humanitas transfuderit suas imbecillitates in diuinitatem, sed quòd salua vtriusq; substantia diui-

uinitas ornarit in Incarnatione humanitatem omni sua maiestate, quam tamen maiestatem humanitas, tempore exinanitionis, suo modo dissimulauit, donec eam resurrectione, et missione Spiritus sancti, ecclesiæ, quantum quidem in hoc seculo ad salutem cognitu necessarium est, patefecit.

Deinde sciamus & illud, quòd filius Dei incarnatus sit (hoc est) effuderit omnem suæ maiestatis thesaurum, in filium hominis, quem assumpsit, nõ sua necessitate, sed, vt rectè habet Symbolum Nicenum, propter nos homines, & propter nostram salutem. Euangelista vocat eum: Plenũ gratia & veritate, (hoc est) impletum omni genere verorum beneficiorum deitatis. Sed quid? Num his donis ac beneficijs sibi tantùm plenus est? Nihil certè minus. Sed ita plenus est, vt plenitudo eius exuberet etiam in alios. De plenitudine eius, inquit, accepimus omnes nos. Sicut enim vnguentum, quod effusum est in caput Aheronis, non constitit tantùm in capite, sed defluxit etiam in barbam, & vestimentum eius: ita plenitudo diuinorum beneficiorum, quæ effusa est à filio Dei, in filium hominis, non hæret tantùm in ipsius persona, sed descendit etiam in omnia membra eius, quæ sunt credentes in ipsum.

Itaq; cùm agnoscimus, & credimus, Christum filium hominis esse omnipotentem, noster fructus est, vt omnipotentia sua conseruemur in morte ad æternam vitam. Cùm credimus eum esse omniiustum, noster fructus est, vt propter iustitiam eius reputemur

mur & nos coram Deo iusti, ac etiam reipsa iusti efficiamur. Cùm credimus eum omnipræsentem, noster fructus est, vt præsentia eius in omnibus aduersis consolationem habeamus, & conseruemur ac liberemur. Denicq; cùm credimus ipsum esse omnifœlicem, noster fructus est, vt nos vnà cum ipso in æternum fœlicem ducamus vitam. Quid enim spei non accresceret nobis, quid rei non accederet nobis, cùm certa fide tenemus, illam ipsam carnem, quæ ex nobis sumpta est, & qua nos præditi sumus, sedere in summa maiestate, & tenere omnium rerum gubernacula, ac frui omni cœlesti beatitate?

Præterea, tenenda est nobis hæc doctrina de maiestate & omnipotentia hominis Christi, ne in sanctificatione cœnæ Dominicæ videamur Papisticam Magiam imitari & approbare.

Non loquor hîc de Cinglianis, de quibus mox, sed de nostris, qui fatentur veram præsentiã corporis & sanguinis Christi in cœna. Nisi enim hi crediderint, Christũ vnà cum corpore & sanguine suo verè in cœna præsentẽ esse, priusq; verba cœnæ recitauerint, nõ video, quomodo effugere queant Magicã Papistarũ consecrationẽ. Papisticum (hoc est) Magicum est, his verbis (hoc est enim corpus meũ) tantã virtutem esse inditã, vt mox ad prolationẽ eorũ, corpus Christi antea absens in cœlo, fiat præsens, et panis in corpus trãssubstantiet. Ea vis (inquit glossa in decretis Põtificijs) data est ipsis verbis, quòd ad eorũ prolationẽ fiat trãssubstãtiatio. Hoc certè est corp' Christi recitatione externorũ verborũ de cœlo in terrã detrahere, vt quõdã

Iupiter conceptis verbis è cœlis eliciebatur. Non eſt igitur ſentiendum, quòd corpus Chriſti & ſanguis eius cùm eſſent antea longiſsimo ab hinc interuallo abſentia, fiant vi verborum in cœna præſentia: ſed quòd, cum maieſtate Chriſti verè ſint nobiſcũ in cœna præſentia, adnũcietur nobis recitatione inſtitutionis Chriſti præſentia eorum: & diſtribuantur nobis in cibum & potum, dignis quidem ſalutarem, indignis autem pernitioſum. De qua re aliàs pluribus.

Poſtremò, tenenda eſt etiam hæc doctrina ad refutandum impium dogma Cinglianorum, de abſentia corporis et ſanguinis Chriſti à cœna. Poſtq; enim manifeſtiſsimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs perſpicuum eſt, eã eſſe maieſtatẽ humanitatis Chriſti, vt omnia coràm gubernet atq; cõſeruet, perſpicuũ quoq; eſt, quòd preſenti ſua maieſtate pleni ſint cœli & terra. Conſtat autem humanitas Chriſti non tantùm anima ratione prædita, verùm etiam vero corpore & vero ſanguine. Neceſſariò igitur conſequitur, quòd & in cœna, a ſeipſo inſtituta, habeat ſecum corpus & ſanguinem ſuum: & diſpenſet ea, iuxta verbum ſuum (quod vt ipſe recitauit, ita & ſemper in cœna, iuxta ipſius mandatum, recitandum eſt) edenda & bibenda, vt ijs ad æternã ſalutem paſcamur & ſaginemur. Atq; hæc quidem hactenus.

De aſcenſu Chriſti in cœlum, &c.

RElíquum nunc eſt, vt etiam de aſcenſu Chriſti in cœlum, de acceſſu Chriſti ad Deum patrem, & aſcenſu eius ſuper omnes cœlos dicamus. Et hîc aperit ſeſe latiſsimus ac opportuniſsimus campus, in quo Cingliana vanitas omnes ferè vires ſuas fingendi, mentiendi, rectè & piè dicta calumniandi, deprauandi, & inuertendi experiatur. Nec mihi iam amplius negocium erit cum catechumeno in Chriſtiana ſchola, ſed cum Luciano, in ſchola Epicurea, qui thronum Dei patris omnipotentis in Vtopia collocat. De qua re ſuo loco.

In præſentia autem ſumamus in manus aſcenſum Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlum. Ac profectò, niſi mihi ratio habenda eſſet explicandæ pro mea virili piæ doctrinæ, ne literam quidem ſuſcepiſſem aduerſus Bullingerum ſcribendam. Tanta enim eſt libido, tantus ardor, tanta rabies eius quiduis in calumniam rapiendi, vt quò plus, quantumcunq; circumſpectè & piè ſcripſeris, eò maiorem dederis ei occaſionem inſaniendi & calumniandi. Cicadam aiunt alis non eſſe præhendendam, quòd, vt cœperit ſtrepere, deſinere neſciat. Sed pergemus. Principio, inter nos conuenit, quòd Chriſtus iuxta Apoſtolica ſcripta, ſublatus ſit (vt Lucas loquitur) quadrageſimo à reſurrectione die in

monte Oliueti, in altum, idq; ſpectantibus diſcipulis ſuis, & nubes ſubduxerit eum ab oculis eorum. Hæc hiſtoria aſcenſus Chriſti in altum, certiſsima eſt, & veriſsima. Etſi enim Bullingerus neſcio quid nugetur, me mihi hanc hiſtoriæ confeſsionem adimere, & mecum pugnare: ego tamen, quia iam ad calumnias Cinglianas penè occallui, ſtrepitum eius nihil moror: ſed illud diuina gratia adiutus, ago, vt fidem meam filio Dei, & prjs eius membris probem. Itaq; credo firmiter, & ingenuè confiteor, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aſcendiſſe poſt reſurrectionem ſuam à mortuis, mirando ſpectaculo, in monte Oliueti, videntibus omnibus, qui coràm pręſtò adfuerunt, in altum, donec nubes eum exciperet, & ab oculis ipſorum ſubduceret.

Quare, quod ad hunc hiſtoricum, externũ, & viſibilem aſcenſum Chriſti attinet, nulla eſt, quod ego ſciam, controuerſia. Illud aũt quæritur, de illo controuertitur: Num Chriſtus, poſtq; ſubductus eſt ab oculis diſcipulorum, aſcenderit ea forma, qua à monte Oliueti vſq; ad nubes peruenit, à nubibus, phyſico progreſſu, per reliquũ aëris, per ſphęram ignis, per ſphęras planetarum, per firmamentũ ſtellis inſignitum, & per aquas ſuperiores, vſq; ad cœlũ illud, quod vocant Empyreum, in quo ſint corporales, variæ & diſtinctæ manſiones ſeu habitacula, & in quo Chriſtus corporali & phyſico modo ſtet, ſedeat, ac deambulet, prout ei viſum fuerit, idq; ea ſemper forma, qua è monte Oliueti vſq; ad nubes eſt eleuatus, donec ex eo cœlo iterum

rum vſq; ad nubes in extremo die, iudicaturus viuos & mortuos, phyſico progreſſu deſcendat, & abſoluto iudicio, eò cum ſanctis ſuis reuertatur, vt ibi corporalibus ſeſsionibus, ſtationibus, itionibus & reditionibus, ſeu deambulationibus, vitã perpetuò iucundam & fœlicẽ ducat? Hæc illa ſunt, de quibus in præſentia cõtrouertitur. Hæc ſunt, ad quæ pro virili, iuxta Prophetica & Apoſtolica ſcripta, explicanda vocamur. Non inquirimus curioſè ſecreta cœlorum, quæ Spiritus ſanctus nobis in hac vita, ignota et occulta eſſe voluit, Sed facimus officium, quod in hac controuerſia de cœna Dñi, eccleſiæ filij Dei debemus. Potuiſſemus æquo animo ad pueriles hominũ cogitationes de rebus cœleſtibus, cõniuere: ſed illud demũ intolerabile viſum eſt, quòd Cingliani carnales ſuas phantaſias de cœleſti regno Chriſti, & maieſtate eius, ita tuẽtur & vrgent, vt ꝓpter ipſas verã & ſubſtantialem p̃ſentiam corporis & ſanguinis Chriſti è cœna eius exturbent, aut potius excludant: ac ſentiant, ne omnipotentia quidẽ Dei fieri poſſe, vt corpus Chriſti ſit ſimul in cœlo, & in cœna. Nec id ſolùm, verumetiã, niſi quis impias ipſorũ ineptias approbet, exclamant negari veritatẽ corporis Chriſti, negari veritatẽ reſurrectionis mortuorũ, & alia id genus multa. Hæc petulãtia, hæc inſolentia, hæc impietas nõ eſt ferẽda. Offendant ſanè multi his cõtrouerſijs, et ꝓturbentur in carnalibus ſuis et inueteratis opinionibus: interea aũt pij rectè erudiuntur, et agũt Deo ꝓpter harũ rerũ explicationẽ gratias. Et ſi diſcedũt Capernaitę, nec amplius ambulãt cũ Chriſto, ma-

manet tamen Petrus cum collegis ſuis, donec veram & perfectam rerum cognitionem aſſequatur. Sed ad inſtitutum.

De cœlo nobis ſermo eſt, in quod ſe Chriſtus, poſtquàm per nubem ſubductus eſt ab oculis diſcipulorum, receperit, & in quo nunc in maieſtate ſua commoretur. Hîc obtrudunt nobis Cingliani tale cœlum, quale in priori libello è ſcriptis eorũ deſcripſimus. Cœlũ, inquiũt, eſt locus certus, nõ in hiſce terris, ſed diſtinctus à terris, ac longiſsimè ab eis remotus: diſtinctus etiã ab ipſis cœlis aſpectabilibus, & inferioribus, nõ vbiq; ſed conſtitutus ſupra nubes et ſupra mundũ hunc corruptibilem, imò ſupra oẽs cœlos, in excelſis, domus Dei patris, habitatio, ſedesq; Chriſti ac electorum eius beata, diuina, æterna, immenſa, ſplendida, ſpiritualis, corporea, habens ſpacia, eaq; latiſsima, in quibus localiter itur, ſedetur, ſtatur & ambulatur. Hoc eſt cœlum Cinglianorum, in quo Chriſtum ab aſcenſu eius è monte Oliueti collocant. Vocamus autem Cinglianum cœlum, non quòd hoc primi ipſi totum ſint architectati, ſed quòd ab humana ratione et ſuperſtitione confictum, & propagatum, ac nomine Empyrei inſignitum, patefactione autem Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti penè collapſum, inſtaurare, exornare, & tueri conentur. Nec inuſitatum eſt, quòd collapſorum ædificiorum inſtauratores, autores eorum dicantur. Imò Ioannes ipſe Apoſtolus tali genere locutionis de charitate vtitur. Vocat enim præceptum vetus, quod ab initio nobis ſit datum: vocat & nouum, quod ſub-

inde

inde repetatur & renouetur. Quare non debet nobis esse fraudi, quòd alicubi dixerimus, Cinglianos esse huius noui cœli architectos. Vetus enim est, quod sit iam antè humanis somnijs confictum: nouum autẽ est, quod Cingliani renouent, & nouis coloribus exornent. Tergiuersari quidem nunc incipit Bullingerus, & nihil, inquit, curiosius de ingressu & egressu, aut etiam de colloquijs & deambulationibus Christi & Sanctorum in cœlestibus, disputo. Et me allatrans, non veretur, inquit, ille (Brentius) nugis illis suis futilibus molestare perturbarecꝙ Dei ecclesiã. At enim, Bullingere, ego non perturbo Dei ecclesiam, sed te, te inꝙ, ipsum optimo iure perturbo & molesto, qui tã futiles nugas de cœlo vestro Empyreo ecclesiæ Dei obtrusisti. Certè nihil finxi. Vestra ipsorum verba de stationibus, sessionibus, & deambulationibus in cœlo recensui, vestra figmenta commemoraui, & ea refutanda suscepi: iudicium sit penes omnes pios, & doctos viros. Primùm igitur videmus, Cinglianos statuere cœleste quoddam corpus, extra hunc mundum, quod sit regio latissima, in mansiones corporales, & spacia corporalia, in quibus corporaliter eatur, sedeatur, stetur, & deambuletur, distincta.

Etsi autem Cingliani non omnia, nisi fallor, scholasticorum & monachorum somnia de huius cœli conditione approbant: tamen visum est, hîc ea commemorare, vt cognoscamus, ad quæ Cingliani suo figmento, vel alludant, vel iterum occasionem, quod in ipsis est, exhibeant. Nouem (inquiunt) sunt Mono-

Scholaſticorum & monachorũ verba, de conditione beatorum in cœlo Empyreo.

polia (ſic enim vocant choros angelorum & hominũ beatorum) in ciuitate Hieruſalem. Et infimus chorus plures angelos cõtinet, quàm ſunt atomi in ſole. Chorus Archangelorum in decuplo plures, & ſic conſequenter, ſicut aqua in decuplo maior eſt terra, aër in decuplo maior quàm aqua, &c. Et aliàs. In cœlo (inquiunt) Empyreo ſunt loca corporalia pro ſanctis diſtincta, Nam Chriſtus cæteros excellit tam angelos quàm homines, & loco & dignitate. Poſt ipſum credimus beatam virginem ſuper omnes alios. Deinde cæteri ordinantur ſecundum dignitatem ipſorũ. Huius autem imaginatio facilè poteſt haberi, ſi quis imaginetur aues in aëre, & piſces in aqua: Sic in Empyreo intelligenda ſunt collocari corpora, quia corpus illud multum habet de altitudine ſicut alij cœli. Vnde non debet quis imaginari, quòd ibi ſint beati ſicut in ſolario. Nec tamen intelligendum eſt, quòd vnus ſit directè ſuper caput alterius, Sed ſicut, ſi eſſet mons rotundus, & aliquis eſſet in culmine, & aliqui circum circa, ſic poteſt aliquis imaginari, qui melius neſcit diſpoſitionem Sanctorum in cœlo Empyreo & Chriſti, &c. Sed valeant illæ Monachorum ineptiæ. In præſentia negotium nobis eſt cum Cinglianis, quibus nec mirum, nec nouum videri debet, quòd cœlum Empyreum exagitemus, cùm ante nos Eraſmus ſuos de ipſo ludos habuerit. Pro arbitrio (inquiens) nouos orbes fabricantur (Theologi) addito deniq; latiſsimo illo pulcherrimoq;, ne ſcilicet deeſſet, vbi fœlices animæ commodè vel ſpaciari, vel conuiuium agitare, vel etiã

pila

pila ludere poſſent, &c. Cingliani igitur ſentiunt, cœlū illud ſuum, ad quod putant Chriſtum ſeſe poſt aſcenſum ſuum è monte Oliueti, recepiſſe, eſſe corporalem, eamq; latiſsimam regionem, extra hunc mundū corruptibilē, quæ contineat ſua corporalia habitacula, loca, et ſpacia, in quibus Chriſtus corporaliter, aut ſedeat, aut ſtet, aut ambulet. Hoc autem eſſe purum putū figmentū, probauimus ex Moſe in priori ſcripto tam luculēter, vt nemo, niſi qui authoritatē Moſi contemnat, contradicere, vel ſaltem veriſimili quadā ratione queat. Agnoſcimus quidē, multā eſſe in ſacra ſcriptura mētionem cœlorū, & varia eſſe eorū genera: inter hęc aūt nullum planè locum habet fictitiū illud Empyreū, in quo Chriſtū, vt ibi aut ſtet, aut ſedeat, aut deambulet, collocant. Credo quidem Bullingerum pœnituiſſe huius temeritatis & impudentiæ: ſed ſcripta eius extant, & pergit ea partim defendere, partim diſsimulare. Quare pergemus nos ea pro noſtro officio refutare & damnare. Deinde fatemur & illud, quòd Chriſtus verè dicat: In domo patris ſui multas eſſe manſiones: negamus aūt, et pernegamus, quòd nomine manſionū hoc loco intelligenda ſint externa & corporalia habitacula, in quibus beati cōmorentur corporaliter, & egrediantur ac ingrediantur phyſica motione & progreſsione. Nec inuerto hīc ſtatū diſputationis, vt Bullingerus nugatur, ſed recenſeo & verba & ſententiā eius, quibus fictitium ſuum cœlum deſcripſit. Nunc autem, poſtquàm videt, ſe extra ſepta progreſſum, incipit tergiuerſari, & aliò ſeſe proripere: At enim

hîc tibi ſiſtendus eſt gradus, Bullingere, & probandum, quòd in cœlo ſint corporales manſiones, in quibus ſint corporales hominũ commorationes, egreſſiones & ingreſsiones. Nam ſi hoc de Chriſto affirmas, multò magis de alijs hominibus affirmabis. Et quid, quòd alias habeat veteres Scriptores pro ſuo robore, in expoſitione autem vocabuli, Manſionũ, tam longè à multorum veterũ ſententia, qui manſiones, non pro corporalibus habitaculis, ſed pro præmiorũ differentijs, & gradibus beatitudinis interpretantur, recedit? Sed ille pro ſua authoritate excerpit è veterũ monumentis, quæ videntur ſuæ cauſæ patrocinari: quæ autem cum ea pugnant, ijs medium digitũ oſtendit: aut conatur, quoquo modo poteſt, ad ſententiã ſuam inflectere. Iam manifeſtũ eſt & illud, quod Chriſtus dicat: Vado paraturus vobis locum. Negamus autem, quòd nomine loci intelligat, quod Bullingerus intelligit, in cœlo videlicet Empyreo (quod fingunt) eſſe diſtincta loca, quibus corpora beatorum contineantur. Dicit quidem non eſſe locum terrenũ & corruptibilem, ſed incorruptibilem. In præſentia autem non loquimur de loci inhærentibus, quæ ſunt corruptio aut incorruptio, ſed de ipſa loci eſſentia, quę eſt ſuperficies corporis continentis. Quare ſicut negamus Chriſtum loqui de externis & corporalibus manſionibus: ita negamus etiam eſſe in cœleſti regno corporalia loca, quæ ſint corporis continentis ſuperficies. Nam quemadmodum temporis, ita & locorum diſtinctiones (ſicut ſuprà dicebamus) ſunt tantùm in

hoc

hoc mundo & cũ hoc mundo genitæ, cum ipso quoq; transituræ: ante & extra illũ, nullæ sunt. Quid enim ijs opus, vbi nulli sunt locales motus, nullæ mutationes, nullæ progressiones, sed omnia sunt perpetua, firma, fixa, inalterabilia, & immutabilia? Et cùm corpora beatorum non sunt amplius in statu futuri seculi animalia, sed spirittialia, quemadmodum Paulus ait, habent etiam, non mutata ipsorum essentia in spiritus, illam spiritus conditionem, quòd non amplius contineantur alterius corporis superficie. Sed quid? Quomodo in cœlo Cingliano erunt loca corporalia, hoc est, superficies corporis continentis, cum ipsum non sit corpus, sed merum sit figmentum? Scio Theodoretũ, scio alios dicere, corpus humanum habere in altero seculo eandem circumscriptionẽ, quam habuit in hoc seculo. Sed respondi iam antè, & iterum respondeo, hoc nullo firmo & rectè intellecto sacrę Scripturæ testimonio dici: & has pueriles cogitationes de rebus cœlestibus, in Patribus ferendas, in Cinglianis detestandas esse: propterea quòd illi simpliciter secuti sint communem errorem, sine aliorum contumelia & veritatis oppugnatione. Cingliani autem hunc errorem ita tuentur, vt etiam veritatem oppugnent: & hac asseueratione non solùm veram corporis & sanguinis Christi præsentiam è cœna eius proturbare conentur, sed etiam eos, qui contrà dicunt, impietatis de resurrectione mortuorum publicè accusare nõ vereantur. Quare iterum atq; iterum contestor, quòd quę in hac causa sunt in Patribus toleranda, ea sint in Cinglianis

damnanda. Cæterum Christus, cùm ait: Vado paraturus vobis locum, non loquor de loco propriè, multò minus proprijssimè, vt Bullingerus scribit, vt significet superficiem corporis continentis: sed μετεφορικῶς, de fœlicitate & beatitudine, quam in Deo patre, Apostoli, & omnes per verbum eorum credentes, sint habituri, vt sit sententia. Vado ad passionem & mortem, qua paraturus sum vobis Deum patrem propitium, vt agnoscat vos filios suos, & vnà mecum perpetuò fœlices reddat. Vnde & addit: Iterum veniam, hoc est, resurgam à morte, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Vbi ergo est Christus, vt sciamus, vbi sint Apostoli & omnes credentes? Respondet ipse Philippo: An nescis, (inquiens) quòd ego in patre sum, & pater in me? Est ergo Christus in patre. Et cùm Apostolos & credentes assumat & ducat eò, vbi ipse est, manifestè sequitur, quòd faciat, vt & ipsi sint in patre, hoc est, vt habeant propitium patrem, & fruantur vnà cum ipso paterna sua & cœlesti ac diuina hæreditate. Vides, si veram huius dicti sententiam consideraueris, nihil prorsus dici de parando loco corporali, seu superficie corporis continentis, sed tantùm de spirituali, cœlesti & æterna fœlicitate, quam Christus morte & resurrectione sua, apud Deum patrem omnibus credentibus in cœlesti regno parauit. Reputa autem mihi quæso, optimè lector, cum animo tuo, quàm scelerata vafricie Bullingerus conetur te à statu cau-

tu cauſæ abducere, & ſuum figmentũ occulere. Quæ-
rit enim à me, An non (inquiens) à rerum initio om- *Fol. 59.*
nes in eccleſia Dei fideles crediderint, poſt hanc vi-
tam, & extra hunc mundum aliam eſſe vitam, & ali-
ud ſeculum, nimirum, in æterna illa noſtra patria,
quæ ſit locus certus, & manſio fœlix, parata nobis à
Chriſto, vera vtique fœlicitas, & vita ſempiterna?
Habes quæſtionem non certè alio dolo mihi propo-
ſitam, quàm Herodiani Chriſto quæſtionem de dan-
do cenſu Cæſari propoſuerunt. Sed benè habet. Co-
gitationes & conſilia Satanæ, non ſunt nobis, propi-
tio Deo, tàm ignota, vt non poſsimus ea deprehen-
dere.

Primùm igitur, non quærit à me iſta, quòd igno-
ta ſit ei confeſsio fidei meæ, de vera & æterna vita,
quam in Ieſu Chriſto vnico noſtro ſeruatore expecta-
mus: ſed vt me apud ſuum theatrum traducat, perin-
de ac ſi aliud ore profiterer, aliud corde cęlarem. De-
inde ſimulat quidem in hac quæſtione candorem quẽ-
dam: ſed ſi oculos aperueris, nihil eſt ea inſidioſius.
Alia enim ſunt verba plana, perſpicua, aperta, & ex-
preſſa, alia autem tam obſcura, ambigua, & flexiloqua,
vt facilè appareat, talem eſſe hominem, qualia ſunt hęc
verba eius. Plana & perſpicua ſunt: Ab initio rerum
omnes in eccleſia Dei fideles crediderũt, poſt hanc vi-
tam, aliam eſſe vitã, et aliud ſeculum, nimirũ in æterna
illa noſtra patria, vera vtiq; fœlicitas, & vita ſempiter
na. Hęc agnoſco, vt veriſsima, ita et certiſsima. Et cre-
do ac cõfiteor ea ex animo vnà cũ vniuerſa orthodoxa

&

& catholica ecclesia Domini nostri Iesu Christi. Nec est vlla alia, inter tot, & tam graues huius seculi ærumnas, spes & consolatio mea, quàm quòd aspersus sanguine Iesu Christi, expectem alacri animo hæreditatem immortalem, & incontaminabilem (sicut Petrus loquitur) atq; immarcescibilem, conseruatam in cœlis erga nos, qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem. Profiteor autem hæc, non propter Bullingerum, quem maligniorem & virulentiorem iudico, q̃ qui possit confessionem verè piam æquo & candido animo accipere: sed propter veram ecclesiam filij Dei Domini nostri Iesu Christi, vt intelligat, mihi nullum aliud studium, & nihil aliud in votis esse, quàm vt verum & germanum eius membrum sim, ac in Christo vero eius sponso, inueniar.

Flexiloqua autẽ et ambigua ac insidiosa verba sunt: Extra hunc mundum, locus certus, & mansio fœlix. Nam si quæstionarius noster intelligit his verbis, patriam æternæ nostræ fœlicitatis, non esse rem fictam, quæ sit per sapientes homines inducta, vt hoc cõmento contineant vulgum in officio, sed esse certissimam diuinitus traditam, & cœlestibus tàm oraculis, quàm miraculis confirmatam, nec esse mundanam, quę possit humano intellectu compræhendi, sed omnes huius mundi conditiones, & humanæ mentis cogitationes superare, rectè sentit, vtcunq; ambiguè loquatur. Si autem nomine patrię æternę fœlicitatis intelligit cœlum illud, quod Empyreum vocant, & quod sit corporalis & latissima regio, quæ sit posita localiter supra hunc

hunc corruptibilem mundum, & in qua sint certa & distincta habitacula, eaq; corporalia, in qua etiam indigenæ certis locis circumscribuntur, & corporaliter ac localiter nunc stent, nunc sedeant, nunc de loco in locum obambulent: & ad quod cœlum, Christus, postq; à nube susceptus est, physica motione & progressu ascenderit: ex qua re etiam conficiatur, vt cùm corpus Christi in eo cœlo localiter, iuxta Cingliano-rum sententiam, circumscribitur, non possit esse, ne diuina quidem omnipotentia, in cœna Domini, verè & substantialiter præsens, Hæc, inquam, si flexiloquis suis verbis intelligit, prorsus non solùm vt anilia delyramenta, sed etiam vt detestandam impietatẽ damnamus. Nam hæc de cœlo suo Martyrem & Bullingerum docuisse, & argumentis eorum, veram præsentiã corporis & sanguinis Christi è cœna eius proturbare conatos esse, ostendimus in prioribus nostris scriptis luculenter, & quæ adhuc ipsorum scriptis extant, manifestè testificantur. Hæc illa sunt vana somnia, hæc sunt impia figmenta, quæ impugnamus, quæ detestamur, & quæ authoritate Propheticæ & Apostolicæ scripturæ condẽnamus. Sed pergemus. Martyr & Bullingerus sentiunt, hoc suum Empyreũ cœlum, esse corporeum. Vnde & Martyr: Cum cœlum illud (inquit) intellectuale vocat Strabus, ne putes ipsum non esse corporeum, sed quia oculis nostris non potest cerni. Et Bullingerus, cùm contendit esse in eo cœlo loca, quibus corpora circumscribuntur, & mansiones locales, necessariò sentit esse sedem corpoream. *Fol. 77.*

Et tamen sentiunt esse sedem spiritualem. Hoc cùm obiecissem eis, obsecro te, audi bellam & suauem Bullingeri tergiuersationem. Ideirco, inquiens, locum illum, id est cœlum, nuncupaui corporeum, eò quòd non nihil, aut nullibi, sed certus sit locus. Quid? Num cœlum illud ideo est dicendum corpus, quia non est nihil, aut non est nullibi? Atqui eadem ratione Angelus, imò Deus ipse dicendus esset corpus, quia non est nihil, & non est nullibi. Quæ est hæc licentia, quæ temeritas abutendi vocabulis, & confingendi nouam Grammaticam? Habes iterum vertiginem, quæ tantò plus eluceſcit, quantò longius in scripto Bullingeri progressus fueris. Nam quod addit, ideo dici corpus, quòd sit certus locus, quid hinc sequitur, quàm quòd globus vniuersi orbis non sit corpus, quia tantum abest, vt iuxta suam exteriorem superficiem sit in certo loco, vt planè in nullo sit loco. Et ostendimus supra, quòd corpus Christi verum sit corpus, etiamsi non contineatur in loco localiter. Quod si aduersarius pergit è suo cœlo certum facere locum, idq; proprijssimè, quemadmodum aliàs affirmat, quid est, quòd tanto studio amoliatur à se suspicionem, ne videatur facere cœlum mundanũ, Aristotelicum, Sophisticũ, Thalmudicum, & Mahumeticum? Quid est, quòd reijciat choreas & saltationes in cœlo? Vocamus enim locum mundanum & Aristotelicum, superficiem corporis continentis. Nec huc facit, quòd aduersarius dicit, se loqui de loco incorruptibili. Nam & Aristoteli, cui vniuersus mundus est æternus, est etiam locus æternus.

Fol. 25. in responsione.

ternus. Et fit hîc ſermo, ſicut & ſuprà admonuimus, non de loci inhærentibus, ſed de loci eſſentia, quæ eſt continentis corporis ſuperficies. Cum autem Bullingerus tribuat cœlo ſuo talem locum, & extruat in eo locales manſiones, ac inſtituat locales & phyſicas ſtationes, ſeſsiones, & progreſsiones, certè ea iacit fundamenta, ſuper quibus Sophiſtæ, Thalmudiſtæ, & Mahumetiſtæ ſuas cœleſtes delicias collocarunt: & illum effodit fontem, ex quo omnis iſtorum vanitas ſcaturit. Quare, cœlum eius non immeritò dictum eſt Sophiſticum, Thalmudicum & Mahumeticum. Immeritò autem accuſat me ſcurrilitatis, quòd recenſeam, quæ ex vanis ſomnijs eius conſequantur. Non enim commemoro, quæ ego finxi, ſed quæ Sophiſtæ finxerũt, et quæ inſtauratione fictitij cœli Empyrei in eccleſiam reducuntur. Scilicet, ſcurrile eſt, cum ego alienas vanitates ad reprehendenda ſomnia Cinglianorum de ſuo commenticio cœlo, recenſeo. Cum autem Bullingerus obtrudit nobis homines in cœlo capitibus incedentes, & de eo, qui per portam ingrediebatur, quando venit, ac multa id genus alia ridicula, ſumma adeoq; ipſiſsima eſt grauitas. Sed quid facio? Si tales aduerſarij φλυαρίας καὶ σωμάλματα perſequi vellem, naſceretur mihi opus Iliade maius. Omiſsis igitur iſtis, pergo. Sicut affirmat cœlum ſuum eſſe corpoream ſedem, ita non concedit eſſe vbiq; aut immenſum, ſed collocat ſupra hunc mundum, in locis excelſis. Quod igitur de vbiquitate ſui cœli negat, habet eccereum confitẽtem. Fateor n. ingenuè, tantum abeſſe,

vt cœlum ſuum ſit vbiq;, vt planè dicam, nuſq; in tota rerum natura eſſe. Prorſus enim eſt fictitium, neq; vnq; fuit, neq; vnq; erit. Quod autem de immenſitate eius dicitur, etſi manifeſtum eſt, quod antea poſuerunt immenſum, tamen addunt nũc correctionem, & dicunt, eſſe quidem immenſum, quod ad humanum captum attinet, non autem coram Deo. Bella profectò correctio. Quaſi verò quicq; in omni rerum vniuerſitate ſit coram Deo immenſum, aut infinitũ, cum ne ipſe quidem ſibi, SIBI (inquam) ſit immenſus & infinitus, quippè cui menſura & fines (vt ita loquar) ſuę vel eſſentiæ, vel dominationis, et maieſtatis ſint cogniti ſimi. Hîc verò, cùm fit ſupernorum & excelſorum locorum cœli mentio, vapulat altera regula, quam de vocabulis, SVPRA ET INFRA recitaui. Ac verba quidem regulæ, Bullingerus fideliter commemorat, ſed immaniter in eam graſſatur. Regula enim eſt. Cùm ſermo eſt de rebus ſpiritualibus & cœleſtibus, hæc vocabula SVPRA ET INFRA, vſurpantur quidem ex humana conſuetudine, non autem definiuntur locis, ſed dignitate, indignitate, maieſtate, abiectione, gaudio, horrore, lætitia, triſtitia, & alijs id genus. Habes regulam. Nunc audi quàm modeſtè, quam ſobriè eam excipiat Bullingerus. In hanc (inquit) inſaniam videtur ruere aduerſarius, quòd ſibi nimiũ permittit. Fingit enim ſibi neſcio quas regulas interpretandi ſcripturas, non compoſitas ad antiquam ſimplicitatem, & ad ſenſum pietatis & fidei, ſed ſui proprij arbitrij. Et inter has regulas, quas dicit me fingere, commemorat

rat etiam hanc, quam modò recitaui, & addit. Quid verò hac ſua regula non peruertere queat aduerſarius? Et ſi nos recipiamus ex traditione Brentij, Supra & Infra, ita vt fingit, vſurpari in ſcripturis, haud difficile illi erit eludere omnia teſtimonia ſcripturæ, quæ atteſtãtur cœlum eſſe ſurſum, infernum eſſe deorſum, aliaq; huius generis plurima. Hactenus Antagoniſta. Quæſo autem te optime mi lector, cogita mihi, num poſsit aliquid hoc homine impudentius et magis temerarium dici? Primùm enim luculentum eſt mendacium, quòd dicat me hanc regulam finxiſſe. Non ſolùm enim habet manifeſta ſacræ ſcripturę exempla, ſed etiam collata eſt in literas ab Auguſtino (quem Cingliani iactant ſuum eſſe robur) & tradita vniuerſæ eccleſiæ.

Viſum eſt igitur recitare eam verbis Auguſtini *Aug. lib. 83. quæſt. q. 29.* Ea, inquit, quæ ſurſum ſunt, ſapere iubemur, ſpiritualia videlicet, quæ non LOCIS ET PARTIBVS huius mundi, SVRSVM eſſe intelligenda ſunt, ſed merito excellentiæ ſuæ, ne in eius mundi partibus figamus animum noſtrum, quo vniuerſo nos debemus exuere. SVRSVM enim aut DEORSVM in huius mundi partibus eſt. Nam VNIVERSVS, nec ipſe habet ſurſum aut deorſum. Corporeus enim eſt, quia omne viſibile corporeum eſt. Nihil autẽ in vniuerſo corpore, SVRSVM aut DEORSVM. Cùm enim in ſex partes motus fieri videatur, qui rectus dicitur, id eſt, qui circularis non eſt, in anteriora, & poſteriora, in dexteriora & ſiniſteriora, in ſuperiora & inferiora, nulla omnino ratio eſt,

cur vniuerso corpori antè & post nihil sit, & dextra ac leua, sit autem sursum & deorsum. Sed eo considerantes decipiuntur, quòd sensibus & consuetudini difficilè obsistitur. Non enim tam facilis nobis est conuersio corporis, quæ fit, si quis capite deorsum moueri velit, quàm faciles sunt à dextra in leuam, vel ab anteriore in posteriorem partem. Quamobrem remotis verbis secum animo satagendum est, vt hoc cernere valeat. Hactenus Augustinus. Vides ergo Bullingerum in luculento mendacio deprehensum, quo etiam non solùm suam impudentiam & temeritatem, verùm etiam insciti am prodit, quòd quæ sunt ex Augustino, imò ex ipsa sacra scriptura, decantatissima, ignoret: nec ignoret tantùm, sed etiam ab alijs proposita & commemorata summo fastu condemnet: & audeat publicè vociferari, me his confictis regulis excitatum ad insaniam ruere. Quid est proiecta & execrabilis insolentia, si hæc non est?

Deinde dicit, hanc regulam non esse compositam ad antiquam simplicitatem, & ad sensum pietatis & fidei. Atqui nulla est antiquior simplicitas, quàm quæ est sacræ scripturæ: nullus est verior & certior sensus pietatis ac fidei, quàm qui in sacra scriptura traditur. In Genesi descendit Deus de cœlo, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam. Et paulò pòst dicit de Zodomitis: Descēdam et videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Descendit etiam Dominus in montē Sinai, quando promulgaturus erat Decalogum. Hæc est antiquissima simpli-

ſimplicitas. Quis autem eſt ſenſus pietatis & fidei? Num quòd Deus deſcendat de cœlo deorſum, & iterum aſcendat ſurſum, pro humano more, appoſita ad cœlum ſcala, in qua deſcendat & aſcendat? Nihil minus: ſed is eſt ſenſus, quem ſcriptura ipſa explicat aliàs: Si aſcendero, inquiens, in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades, &: Cœlum & terram impleo, dicit Dominus. Deſcendit igitur Dominus de cœlo, quando præſentiam ſuam nouo quodam & admirando opere teſtificatur. Aſcendit autem, quando manifeſtum præſentiæ ſuæ teſtimonium quaſi reuocat, & maieſtate ab humanis oculis abſcondita fruitur. Si in cœlis, inquit Auguſtinus, tanquàm in ſuperioribus mundi partibus locus Dei eſſe creditur, melioris meriti ſunt aues, quarum vita eſt Deo vicinior. *In ſerm. Domini in monte lib. 2. Cap. 9.*

Sed ſumamus exemplum Pauli, cuius Auguſtinus paulo antè fecerat mentionem: Si conſurrexiſtis, inquit Paulus, vnà cum Chriſto, ſuperna quærite, vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens. Superna curate non terreſtria. Hunc locum ſolent nobis ſæpè obijcere Cingliani, vt ſignificent, corpus Chriſti non eſſe quærendum in cœna, quæ eſt in terra, ſed ſuprà in cœlo. Cum ergo D. Lutherus fœlicis memoriæ, explicuit veram eius ſententiam magna induſtria & pietate, viſum eſt ipſius potius verba recitare, quàm meam interpretationẽ adſcribere. Cum adducũt (inquit) dictũ Pauli Coloſ. 3. Si conſurrexiſtis vnà cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt curate, nõ quę ſunt ſup

terram

terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, solent vociferari: Hîc hîc vos carniuoræ & sanguinisugæ, hîc animaduertite, quòd corpus Christi non sit quęrendum in Sacramento. Sacramentum enim est super terram, Christus autem est suprà, ad dextrã Dei. Hîc non est illi fanatico spiritui necessarium, vt doceat, quid Paulo significet, Super terram, ex quo tota huius dicti explicatio pendet: sed præterit istud contemptim & festinãter, sine vllo iudicio. Si ergo obijcerem, quid causæ est, quòd accedatis ad concionem, & quæratis Euangelion? Quid, quòd celebretis cœnam Dominicam? Quid, quòd diligatis proximum, & benefaciatis ei? An non pater, mater, dominus, seruus, proximus, omnes sunt super terram? Age igitur, non quæramus eos, non honoremus, non obediamus, non seruiamus, non diligamus eos. Rem certè lepidam. Hæc omnia, super terram non sunt. Et Paulus dicit: Quæ sunt super terram, non sint quærenda: ideoq; pessimè, scilicet, fecerunt Apostoli, quòd secuti sint Christum, quia adhuc erat super terram. Et Christus ipse venit super terram. Quid, quòd & Paulus ipse concionatur, & visitat ecclesias super terram? Quid ergo? An non egregiè hoc dictum explicuerunt? Sed assueti sumus hactenus ludibrijs Satanæ, quòd summo suo fastu & contemptu non iudicet nos dignos, quibus respondeat: quippe qui sciat, se multò plures suæ vanitatis, quàm veritatis discipulos habituros. Vicissim autem & nos vanis eius ludibrijs insultamus, & exigimus, vt nostram

Super terram.

ſententiã, ſi quæat, refutet. Et quia nihil, præter elumbes φλυαρίας aduerſus nos afferre poteſt, idcirco fidẽ noſtram multò plus confirmat, quàm infirmat. Sanctus Paulus vocat ea, quæ ſunt ſuper terram, terrenam vitam, qualem hic mundus ſolet ducere, in ſcortatione, & variis vitijs. Loquitur enim de mortificatione veteris Adami, quemadmodum verba eius ſunt perſpicua. Mortui, inquit, eſtis cum Chriſto. Et mox. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, ſtuprũ, immunditiam, mollitiem, auaritiam, &c. Hîc audimus, quòd, ſuper terram, vocet terrenam, veterem vitam, iuxta veterem Adamum, quemadmodum homines ſolent in hoc mundo abſq; ſpiritu Dei viuere: ſollenne enim eſt veteri Adamo ad hunc modum vitam agere. Talia (inquit Paulus) non debemus quærere. Debemus enim vnà cum Chriſto, huic mundo & terrenæ vitæ emortui, deinceps cœleſtem in Chriſto vitam ducere. Quare, alacri animo dicimus, quòd noſtrum ſacramentum non ſit ſuper terram, nec quæramus ipſum ſuper terram. Si autem Satan probauerit, quòd habeamus noſtrum ſacramentum, & corpus Chriſti, pro ſcortatione, auaritia, odio, et omni genere ſcelerum, fatebimur ingenuè, nos malefacere, ſi quæſiuerimus Chriſtum ſuper terram. Quod ſi verò hoc non præſtiterit, palàm affirmabimus, quòd mentiatur Satanicis ſuis faucibus: & præterea afficiat ſanctum Paulum blaſphemia, quaſi diceret, corpus Chriſti eſſe in terra, cùm eſt in ſacramento. Hoc enim alienũ eſt à ſententia Pauli. Habes iterum, quàm aptè fanatici ci-

tent ſcripturas, & quis ſit ſpiritus ille, qui per ipſos loquitur: Satan enim optime nouit, quid Paulus vocet, ſuper terram: & tamen adigit cœcatos fanaticos eò, vt dicant, corpus Chriſti in Sacramento eſſe ſuper terram. Hæc ſunt illa, ſcilicet, fundamenta, quibus ſuam cœnam confirmant, & noſtram refutant. Hactenus Lutherus. Cum hoc loco conuenit & illud Ioannis
Ioan. 3. Baptiſtæ dictum: Qui è ſupernis venit, ſupra omnes eſt. Qui è terra profectus eſt, terrenus eſt. Qui è ſupernis, inquit, venit. Num igitur Chriſtus (de hoc enim fit ſermo) deſcendit localiter de cœlo, in vterum virginis, vt incarnaretur? Nihil certè minus, ſed qui erat antea præſens, patefecit ſe in vtero virginis in-
Ioan. 8. carnatione. Sic & aliàs dicit Chriſtus ipſe, ad Iudæos: Vos ab infernis eſtis, ego è ſupernis ſum. Quid? Nũ Iudæi antea localiter conditi fuerunt in centro terræ, vbi fingunt eſſe infernum, & emerſerunt tandem ad ſuperficiem terræ, Chriſtus autem fuit in ſupremo cœlo localiter, & deſcendit in terram, vt ibi ſemen Abrahæ aſſumeret, phyſica progreſsione? Et non potius intelligitur de terrena abiectione, & cœleſti maieſtate? Pſalmus ait: Diſsipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. Ergó one oſſa eorum fuerunt infra terram, aut intra cẽtrum mundi in medio terræ? De profundis clamaui ad te Domine. Ergó ne Dauid fuit tunc in externa profunditate terræ, & non potius in maximis animi afflictionibus? Quid multis opus? Niſi hanc & ſimiles regulas tenueris, & in ſuis locis ſecutus fueris, non potes antiquam ſimplicitatem intelligere, & verum

rum ſenſum pietatis ac fidei ſequi: quin potius ignorantia earum, aut neglectio, aut contemptus, conijciet te nõ tantùm in hæreſim Anthropomorphitarũ, ſed etiam in multos alios impios errores. Nõ igitur ſunt humana figmenta, ſed diuini Spiritus norma, quam in rectè intelligenda ſacra ſcriptura ſequaris, neceſſe eſt. Relinquamus autem vel tandem ficti ũ cœlum Cinglianorum, & ingrediamur vnà cum Chriſto Domino noſtro in verum æternæ noſtræ beatitudinis cœlum. Poſtq̃ igitur certiſsima eſt Apoſtolica hiſtoria de aſcenſu Domini noſtri Ieſu Chriſti è monte Oliueti, in cœlum, videamus nũc, quod ſit cœlum illud, in quod Chriſtus aſcendit. Ac initio illud nobis expendẽdum eſt, quod aduerſarius quærit de hoc aſcenſu. Si cœlũ, inquiẽs, nõ eſt locus ſupra nos in excelſis, ſed omnipotentia, & vniuerſa, vt dicis, Dei maieſtas, quã ſanè nemo vbiq̃ eſſe dubitat, ediſſeras nobis vllem, quid opus fuerit Domino aſcẽſione in cœlum? Si mihi per modeſtiã & grauitatẽ Bullingeri liceret, viciſsim & ego peterem, vt cum Deus impleat cœlum et terram, ediſſereret nobis, quid opus fuerit, deſcenſu eius è cœlo ad Babylonem, vt videret turrim, quam ædificabãt filij Adã, & audiret clamorẽ Zodomitarũ? Cæterum cum Martyr idem planè quod Bullingerus ex me quæreret, reſpondi ei in ſuperiori ſcripto haud obſcurè: et remiſi eum ad dictũ Chriſti, vt ex eo petat verã ſententiã. Quid (inquit Chriſtus) ſi videritis filiũ hominis aſcendentẽ eò, vbi erat prius? Inſultent ergo Martyr & Bullingerus Chriſto, et dicãt, ſi antea filius

hominis erat in cœlo, quid opus erat vt eò ascenderet? Sed quia scribo hæc ad testificandam fidem meam coram filio Dei, et veracius ecclesia, non ad erudiendum Bullingerum, qui à me percontatur, non vt à me discat, sed vt habeat quod calumnietur, non grauabor causas ascensionis Christi in cœlū, quæ & alias in Catechismo exponi solent, commemorare. Primum igitur, visum est Christo Domino nostro, in cœlum manifesto spectaculo ascendere, quia sic scriptum est, & sic oportebat fieri: Ascendit, inquit Psalmus, in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et iterum: Stabunt, inquit Propheta, pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui, &c. Hic describitur & ascensus Christi in cœlum ex monte Oliuarum, & egressio Apostolorum in vniuersum orbem, ad adnunciādum Euangelion in Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione. Hoc enim est montem Oliueti in quatuor partes diuidi. An non hoc satis est causæ, cur Christus voluerit externo spectaculo in monte Oliueti in altum conscendere, etiamsi nulla alia commemorari posset? In historia passionis Christi, cùm recensentur varia genera afflictionum, quæ acciderunt Christo, & mirari quis posset, cur ea secundum illas, quæ recitantur, circumstantias accidissent, plerumq; addi solet: SIC SCRIPTVM EST, &: SCRIPTVM EST ENIM, &: vt implerentur SCRIPTVRAE. Si hęc recitatur causa passionis, cur non etiam recitaretur causa ascensionis? Sed sunt & aliæ causæ.

Vo-

Voluit enim Christus hoc spectaculo finem facere generalium suarum apparitionum, quibus hactenus per quadraginta dies, veritatem resurrectionis suæ testificatus est. Etsi enim postea visus est etiam Paulo, tamen non apparuit amplius generaliter eo modo, quo per quadraginta dies apparuit, vt vnà cum discipulis familiariter colloqueretur, ambularet, & conuiuaretur. Hoc igitur externum spectaculum ascensus Christi ex monte Oliueti, est clausula earum apparitionum, quibus se hactenus à resurrectione discipulis patefecerat. Præterea, non hoc significauit, se humanitate sua, quam in vnam diuinitatis personam assumpserat, deferere suos discipulos, & eã inferre in cœlum Empyreum, in quo corporaliter nũc stet, nunc sedeat, nunc deambulet: sed illud significauit, se nunc agere cœlestem vitam, tanta maiestate, vt non tantum terrena, sed etiam cœlestia & inferna gubernet, & omne ei genu curuetur. Sic enim Paulus interpretatur: Qui descendit, inquiens, idem ille est, qui etiam ascendit super omnes cœlos, vt omnia impleret. Habes proprias & veras causas (quę alias copiosius explicantur) externi spectaculi, quod Christus in ascensu suo in altum è monte Oliueti instituit. Nunc igitur cognoscendum est, quò Christus, postquam in ascensu suo à nube exceptus, & ab oculis discipulorum subductus est, peruenerit: & quod illud sit cœlum, in quod ab eo spectaculo ascenderit. Hîc Cingliani, quemadmodum in priori scripto dicebamus, fingunt eum ascendisse physica progressione in 1. Cor. 15.

cœlum Empyreum, quale iam sæpè ex verbis ipsorum descriptum est. Omnino enim necesse habent, iuxta sua axiomata, fateri, quòd Christus non peruenerit in illud cœlum momento, sed progressione physica de loco in locum, Sic enim dicunt. Humanum corpus, quale quale fuerit, & cuicunq; volueritis naturæ vnitum, idq; vnitate qua libuerit, non potest verè implere locum, nisi localiter, Et iterum. Cum de loco agimus, & illum humanæ Christi naturæ comparamus, non possumus nec debemus à geometrico spacio cogitationes reuocare. Ac rursus. Nullus motus localis cuiusuis corporis MOMENTO fieri potest, sed oportet vt suam habeat successionem, seu continuationem : & antea pertingat medium, quàm ad extrema perueniat. Vides Christum, iuxta Cinglianos, à nubibus locali & physico motu progressum esse, vsq; ad cœlum Empyreum. Deinde postquam collocauerint eum in illo suo cœlo, non permittunt ei, vt suo corpore ad nostram cœnam veniat, & sit in multis simul locis: sed vt veritatem corporis conseruet, retinent eum vsq; ad nouissimũ diem, in illo suo cœlo, in quo concedunt ei, vt pro suo arbitrio nunc stet, nũc sedeat, nunc etiam deambulet, ac mansiones, ni fallor, beatorum inuisat. Sed vtrumq; falsum est: Ac de figmento quidem cœli Empyrei, sæpè dictum est. De locali autem motu, & physica progressione corporum glorificatorum (quale & Christus habet, quod tamen gloria sua omnia reliqua superat) in sua æternitate, & cœlesti fœlicitate, manifestum est, quòd ea corpora non amplius

plius sint animalia, quæ sint mutationi obnoxia, & progrediantur de loco in locum (nisi si fortè in hoc mundo sese patefaciant) sed sint spiritualia, quæ etiam iuxta veterum sententiam, spiritui tam sunt obsequentia, vt vbicunq; spiritus cogitauerit aut voluerit, ibi continuò sit & corpus. Credere, inquit Augustinus, debemus, talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi simus. Et vt videas, optime lector, Scriptores ipsos Scholasticos multò spiritualius, multò sublimius, multò honorificentius de maiestate corporum glorificatorum, quàm Cinglianos, cogitasse, aut saltem cogitare conatos esse, non grauabor verba eorum huc adscribere. Omnes (inquiunt) sensus perficientur. Visus videbit omnia intrà, sicut extrà, Subtus sicut suprà, De longè sicut de propè, Minima sicut magna, Videbit ex Occidẽte atomum in oriente, Retrò sicut antè, nõ se vertẽdo, Superiora oculos non leuando, Inferiora oculos nõ inclinando, diuersa obiecta, & quasi infinitos radios, tanquam vnum, vel quasi vnitos. Quodlibet obiectũ, & quodlibet omnium prædictorum, quasi infinitorum radiorum ab altero separatim. In nocte sicut in die, oculis clausis sicut apertis absq; vllo labore, & infatigabiliter. Ratio prædictorum, quia corporalis visus subditus est voluntati, &c. Auditus omnes voces simul audiet, omnes ab inuicem discernet: ita de longe sicut de prope audiet, quæ omnia nunc sunt nobis impossibilia. Odorat⁹, omnes odores simul odorabitur, tanq; si solummodò esset vnus odor, odorabitur distinctè vnumquenq; odorẽ, odorabitur de lõginquo sicut de

propinquo. Gustus, sum̃a dulcedo & suauissima, humiditas creabitur in lingua. Tactus inexpręsibili delectatione iocundabitur. Omnis deformitas auferetur, &c. Hęc scholasticorũ verba comẽmoraui, non quòd approbem tam carnales cogitationes eorum de conditionib. corporum spiritualiũ et glorificatorũ, sed vt ostendã quòd humana mens, quãtumcũcp conetur rationẽ futuræ nostræ fœlicitatis inuestigare, longè tamen deficiat: tantũ abest, vt aut debeat aut possit spirituali & glorificato corpori certas, eascp corporales & locales in altero seculo & in æternitate sessiones, stationes, progressiones, et de loco in locum mutationes assignare.

Quid ergo tandem factum est cum Christo, postquam in ascensu suo exceptus est à nube? Adimis ei progressionem, adimis ei cœlum nostrum Empyreum, num igitur ablegabis eum in Vtopiam? De Vtopia paulò post, ne sit tibi, Bullingere, mora longa, nũc, quod instituimus.

Credimus enim, propter quod & loquimur, quòd Christus nõ euanuerit in nihilũ, sed quòd verè ascenderit in cœlũ, verè sit in cœlo, et perpetuo verè in cœlo maneat, etiãsi in nouissimo die apparituru sit in nubibus, iuxta huius seculi conditionẽ, & iudicaturus sit viuos & mortuos. Quod ergo est cœlũ illud, de quo nũc est sermo? Non est dubium, quin Christus ascenderit in illud cœlũ, è quo assumpturus hominẽ, in veterũ virginis, descẽdit. Symbolum Nicenum dicit: Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit

ſcendit de cœlis & incarnatus eſt. Hic articulus habet ſua eaq; perſpicua ſacræ ſcripturæ teſtimonia: Nemo (inquit Chriſtus ipſe) aſcendit in cœlum, niſi qui deſcēdit è cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Et iterū: Quid ſi videritis filiū hominis aſcendētem eò, vbi prius erat? Ac rurſus: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et: Deſcēdi de cœlo, nō vt faciam meam voluntatē, &c. Et Paul. Secūdus, inquit, homo, de cœlo, cœleſtis. Quid multis opus? In eccleſia filij Dei nihil eſt certius, nihil decātatius, quàm quòd Chriſtus deſcenderit in incarnatione de cœlo. Cum aūt corā domino Deo patre cœleſti non ſint hac in parte diuerſa genera cœlorum, alterū quidem, è quo filius Dei deſcenderit, alterum, ad quod iterum aſcenderit, manifeſtum eſt, quòd Chriſtus planè in illud cœlum aſcenderit, è quo antea deſcenderat. Dicit enim: Quid ſi videritis filium hominis aſcendentem eò, vbi prius erat? Et iterum. Exiui à patre, & veni in mundum, Iterū relinquo mundū, & vado ad patrē. Quid ergo nunc dicemus? Vbi erat illud cœlum, è quo Chriſtus deſcendit? & quomodo ex eo in vterum virginis peruenit? Num deſcendit per ſcalas? an aſſumptis alis deuolauit? an demiſit ſe per funem? an antea re ipſa & verè abſens in momento factus eſt præſens? Nihil minus. Incorporalis illa, inquit Nazianzenus, & incorruptibilis numinis Dei ratio (ſiue id verbum, appellare mauis) ad noſtram regionem acceſsit: non quidem antea inde longinqua (Nihil quippe ab ea vacuum relinquitur in rebus creatis, quum omnia omnino impleuerit

ὁ λόγος

pleuerit ſua patriſq; ſui præſentia) ſed eatenus acceſſit, quatenus ſe ſua humanitate ad nos demiſerit, ſeq; ipſum exhibuerit. Et Auguſtinus: Diuinitas, inquit, non mutat locũ. Ac rurſus: Totus erat apud patrem, quando venit in virginem. Impleuit illam, nec receſſit ab illo (patre) Ac alius quiſpiam. Venit non locali acceſſu, nec motione corporea, tanq; præſens futurus, vnde abfuiſſet, aut illinc receſſurus, vnde veniſſet, etc. Quid igitur ad hæc dicemus? Non certè aliud reliquum eſt, quàm quòd ſicut Deus antea præſens erat in vtero virginis, ita ſecum ſuum habuerit cœlum, è quo deſcendit, & in quod hominem, quem aſſumpſit, ſecum aſcendere fecit, in eoq; collocauit. Miranda quidem hæc videntur, ac apud Epicureos & Lucianicos etiam ridicula: ſed apud verè pios omni acceptione digna. Quid enim Deus, ſi de ipſo, quoquo modo poſſumus, loquendũ eſt, aliud fuerit, quàm ſummũ gaudium, ſumma lætitia, ſumma fœlicitas, ſumma beatitudo, & ſi quid aliud huius excellentiæ dici poteſt? Hæc autem non ſunt niſi cœleſtia bona, imò cœlum ipſum. Vbicunq; igitur fuerit Deus, ibi ſuum ſecum habet cœlum (hoc eſt) in ſumma eſt beatitudine & fœlicitate. Non talis quidem eſt impijs, dum manſerint impij, hominibus, & damnatis diabolis: his enim eſt vt ſeuerus iudex, ita extrema infœlicitas. In ſe autem, & in ſua eſſentia, non eſt niſi æterna ſalus & beatitudo, & quicquid fœlicitatis & beatitudinis vocabulo compræhendi poteſt. Quare cum Deum

dixeris,

dixeris, æternum bonum, & ſummam fœlicitatem, ac verum cœlum dixeris: vt negari non poſsit, quin vbicunq; fuerit Deus, ſiquidem propriam eius naturã in ſe conſideraueris, ibi etiam verum eſſe cœlum neceſſe ſit. Nec mirum. Auguſtinus dicit, Diabolos ſuum ſecum infernum circumferre: quomodo ergo Deus, non circumferret ſecum ſuum cœlum? Deinde Deus aſſumpſit in vtero virginis hominem, non eo tantùm modo, quo aſſumit ſeu agnoſcit quoſuis homines, vt ipſos tueatur & conſeruet, ſed illo modo, quo ex Deo & homine fit vna perſona, & quo Deus omnem ſuam maieſtatem et beatitudinem cum aſſumpto homine, ſine vlla, humano captu comprehenſibili, mẽſura communem habet, quemadmodum ſuprà & aliàs copiosè expoſuimus. Negari igitur non poteſt, quin Deus deſcendẽdo è cœlo et aſſumendo hominem in vnam perſonam, euexerit ſecum inuiſibili & cœleſti modo in incarnatione aſſumptum hominem, in cœlum, non in illud Empyreum & confictum, ſed in verum cœlum (hoc eſt) in omnem beatitudinem, & fœlicitatem.

Dices cum Nicodemo, Quomodo hæc poſſunt fieri? & quomodo Deus deſcendit & aſcendit, vt ſecum hominem aſſumptum adhuc in vtero matris exiſtentem in cœlum euehat? Reſpondebo tibi perlibenter, ſi modò fueris docilis Nicodemus, & non pertinax Cinglianus. Sciamus igitur, quòd iuxta illud Nazianzeni de Chriſto dictum: Vtrumq; Deus, tam aſſumens, quàm aſſumptum, duplex ſit conſideratio de Deo. Altera, de Deo aſſumente, hoc eſt, æterno &

creatore omnium rerum visibilium & inuisibilium. Hîc dicitur, de cœlo in vterum virginis descendisse, non quòd descenderit per gradus humano more, nec, quòd descensu suo cœlum deserat, aut nõ fuerit in cœlo, cum esset in vtero virginis: sed partim, quòd virtute sua omnipotenti obumbrauerit, vt Archangelus loquitur, virgini, & reddiderit eam fœcundã, eoq; miraculo præsentiam suam patefecerit: partim quod dignatus sit filium virginis in vnam personam ita assumere, vt effunderet in ipsum omnem cœlestem suam dominationem & maiestatem. Altera consideratio est de Deo, quem Nazianzenus vocat assumptum, cum loquimur de homine, quem filius Dei sibi in vtero virginis vniuit, non cõuersione diuinitatis (vt Athanasius loquitur) in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, iuxta quam dicimus, hominem illum esse Deum. Hæc assumptio est arcanus & inuisibilis ascensus hominis, in cœleste regnum, & exaltatio eius in summam maiestatem. Assumi enim in Deum non aliud est, quàm in cœlesti & diuina gloria collocari. Sed quid? Num hic homo in Deum assumptus, ostentauit mox, palàm, vel adhuc in vtero matris existens, vel iam vterum egressus, cœlestem suam gloriam, & diuinam seu formam seu maiestatem? Nihil minus, sed exinaniuit sese, forma abiectissimi serui sumpta, donec cursu huius corporalis suæ vitæ, & passione ac morte sua mysterium nostræ redemptionis absolueret. Etsi enim ædidit in diebus carnis suæ miracula, & transfigurat us est in monte, quę certè insignis

est ma-

eſt maieſtas, tamen non oſtentauit ſummam illã maieſtatem, ad quam initio Incarnationis aſſumptus eſt, & quam poſtea reſurrectione & miſsione ſpiritus Sancti ſuo modo patefecit : plenè autem & perfectè ſuis temporibus eccleſiæ patefaciet. Exinanitio igitur eius, qua hanc cœleſtem ſuam maieſtatem, forma ſerui in hoc mundo contexit, rectè vocatur deſcenſus eius de cœlo, cum tamen cœlum, iam inde ab initio Incarnationis nunquam ita deſeruerit, vt non poſſederit veram & cœleſtem maieſtatem.

Cognito autem deſcenſu eius de cœlo, facilè eſt cognoſcere veram rationem aſcenſus eius in cœlum. Poſtquam enim abſoluit externum ſpectaculum aſcẽſus ſui vſq; ad nubes, non eſt pueriliter cogitandum, quòd progreſſus ſit phyſico & corporali modo à nubibus, vſq; ad fictitium illud cœlum, quod Empyreum vocarunt, et commoretur in eo illa ſemper forma, qua viſibiliter è monte Oliueti aſcendit, ſicut Bullingerus ſomniat, Non poſſum (inquiens) probare, quod *Fol. 106* affirmet (Brentius) Chriſtum in cœlo, non ſemper eã retinere formam, quam tunc habuit, quãdo viſibiliter in cœlum aſcendit, & quando ſe Stephano viſendum cœlitus exhibuit, &c. Sed ſentiendum eſt, quòd depoſita forma, non quidem illa eſſentiali, qua verè homo eſt, & ſemper homo manet, ſed accidẽtali, quam in externo aſcenſus ſpectaculo, ad tempus, οἰκονομικῶς aſſumpſerat, receperit formam Dei, (quæ aliquandiu forma ſerui tecta fuerat) aut perrexerit (vt ſignificãtius quo-

ad eius fieri potest, loquar) omni cœlesti sua maiestate quam habuit, frui. Hoc enim verè est Christum esse in cœlo, videlicet non in fictitio cœlo, corporali seu physico modo cõmorari, & deambulare, sed in omni cœlesti gloria, tam in hoc corporeo cœlo stellis insignito, quàm in hac terra, adeoq; in tota rerum vniuersitate versari, & omnia coràm gubernare. Si Theodoretus (cui libenter eam laudem, qua dignus est, faueo) & alij ecclesiastici scriptores, qui plurimùm sunt in ore Bullingeri, hanc sententiam de corpore Christi in cœlo sequuntur, & credunt, Christum corpore suo ita esse in cœlo, vt nusquam non coràm essentia & maiestate sua cœlesti dominetur, rectè, benè & pie sentiunt, & habent nos obsequentes assensores. Si autem illud sentiunt, quòd Bullingerus eis adscribit, videlicet, Christum cum corpore suo, in cœlo fictitio, seu Empyreo, physico, corporali & locali modo versari, & deambulare, nec omnia tam in cœlo quàm in terra, coràm essentia & maiestate sua gubernare, nihil iam nobis cum illis est negotij. Etsi enim meliora de ipsis speramus, nec dubitamus, quin tantùm absint à Cinglianorum phantasmate & impietate, quantùm Oriens distat ab Occidente, tamen illud semel, & iterum atq; iterum volo dictum & repetitum esse Bullingero, me in hac causa nolle dicta veterum curiosius excutere, ac ea vel accusare, vel excusare, nec velle cum ipsis certamen inire: sed potius testimonijs ipsorum liberrimè, iuxta prærogatiuam veræ ecclesiæ a filio Dei concessam, vel vti, si fuerint sacræ Scripturæ con-

consentanea, vel pro reuerentia, quam debemus caniciei, dissimulare. Habemus Prophetica & Apostolica scripta, quæ sunt lucerna pedibus nostris, ex quibus etiam manifestè, quæ hactenus de maiestate Christi docuimus, demonstrata sunt. Neq; illa statim dicuntur catholica & orthodoxa, quæ veteres Scriptores, sed quæ scripta Prophetica & Apostolica tradiderũt. His in præsentia contenti, progrediemur ad reliqua. Diximus, Christum ab externo & dispensatorio visibilis ascensus spectaculo ascendisse in illud cœlum, è quo antè descenderat. Non autem descendit è cœlo Empyreo, quod est fictitium, nec descendit è cœlo stellifero, sed antea præsens, dicitur spirituali modo descendisse, quod & dignatus est incarnari, et incarnatus exinaniuit se, sumpta serui forma. Quare, cum sepositа iterum hac forma, perrexerit formam Dei vsurpare, et cœlesti sua maiestate ac dominatione frui, rectè dicitur, Ascendisse in cœlum, imò super omnes cœlos, vt omnia impleret.

Quod cùm ita se habeat, ostẽdamus nunc amplius, quò peruenerit Christus, postquam exceptus est à nube (hoc est) in quod cœlum, & quomodo ascenderit. Apud Ioannem dicit Christus ad discipulos: Amen, amẽ dico vobis, qui credit in me, opera quę ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad PATREM vado: Ego, inquit, vado ad patrem. Manifestum igitur est, quòd Christus, qui nunc̃q; hactenus deseruerat patrem, venerit in ascensu suo ad patrem, eoq; ipso ad summam maiestatem, dominationem, beatitudinem,

& fœli-

& fœlicitatem. Quid amplius requirendum eſt? An aliquid beatius, & fœlicius eſt, quàm Deus pater cœleſtis? An non in optimo rerum ſuarum ſtatu eſt, qui eſt apud Deum patrem cœleſtem? Sed ne videatur hoc verbum Chriſto incogitanti excidiſſe, addit in eadem cõcione: Nunc vado ad eum qui miſit me. Hic certè eſt Deus pater cœleſtis. Et mox: Cum venerit cõſolator ille, arguet mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non credunt in me, de iuſtitia vero, quia VADO AD PATREM. Ac rurſus: Puſillum et nõ videtis me, & iterum puſillum & videbitis me, quia EGO VADO AD PATREM. Et iterum: Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & VADO AD PATREM. Et poſt reſurrectionem eius à mortuis: Aſcendo, inquit, ad patrem meum, & patrem veſtrum, & Deum meum, ac Deum veſtrum.

Habes perſpicuè, quò Chriſtus, poſtq; ſublatus eſt ab oculis diſcipulorum, peruenerit, videlicet ad Deum patrem ſuum cœleſtem. Potuiſſet ne ad altius, perfectius, beatius & fœlicius peruenire cœlum, quàm ad Dominum Deum patrem ſuum cœleſtem? Certè vbicunq; fuerit Deus pater, ibi, quod ad ſe attinet, ſuum ſecum habet cœlum, quemadmodum ſuprà exponebamus. Nec ſentiendum eſt, quòd ſic tantùm ad Deum patrem peruenerit, quemadmodũ Petrus aut Ioannes, aut Paulus, qui nõ fuerunt vna cum filio Dei perſona, ſed quòd peruenerit ad Deum patrem in vnitate perſonæ, cum filio Dei, vt conſederet ad dextram

Dei

Dei patris, & haberet eandem cum ipso maiestatem tam omnipotentiæ, quàm quæ eam necessariò consequitur, omnipræsentiæ. Quare cùm quæritur, quò Christus à visibili suo ascensu peruenerit, rectè, piè, aptè & congruenter verbis ipsis Christi respondetur: Venit et ascēdit ad Deum patrem suum cœlestē. Hæc, & id genus alia de ascensu Christi ad patrē suum, exposui in priori scripto non oscitanter, & quo ad eius per meam tenuitatem fieri potuit. Addidi insuper de nostro quoq; ascensu. Nunquid ergo, inquiens, corpora Sanctorum non erunt, quòd non contineantur à superficie alterius corporis, nec corporali & locali modo incedant? Certè erunt, idq; perpetuò. Vbi ergo erunt? Apud Christum. Dicit enim: Assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Et Paulus: Rapiemur, inquit, in nubibus, in occursum domini in aëra, & sic semper erimus cum Domino. Vbi autem est Christus? Apud patrē. Erimus ergo & nos apud patrem. Vbi autem est pater? Num est superficie corporis cotinentis circumscriptus? Nihil minus, Sed ibi est, vbi nos erimus. Cū subiecta, inquit Paulus, fuerint Christo omnia, tunc & ipse filius subijcietur ei, qui subiecit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus, &c. Hactenus in priori scripto: quæ sic recitaui, vt existimarem mihi negotium esse cum homine nondum deplorato & conclamato. Sed vt reipsa comperio, negotium mihi est, tam cum Sycophantis, quam cum Lucianis. Audi enim, amabo te, optime lector, quid mihi adea vicissim Bullingerus respondeat. Age (inquit) *Pag. 157.* *Fol. 65.*

sit cœlum non certus sed incertus locus. Ergo ne qui assumpti sunt in cœlum, & subuehuntur adhuc in cœlum, in nullum certũ locũ perueniunt? Si autẽ in cœlum, quod supra nubes est, non perueniunt, quò obsecro perueniunt? Ergo ne migrãt in Vtopiam, in qua hospites excipit Vtis? Vbi itaq; nunc est spes de certa fidelium salute in cœlo? Dissoluta est per doctrinam Brentij. Hactenus Bullingerus. Ac profecto verè nũc est Bullingero, quod dicitur (hoc est) vanissimas Bullas gerẽs. Primũ enim manifesta est sycophãtia, quod dicit, me affirmare, cœlum esse locum incertum, (hoc est, vt ipse interpretatur) spem de salute fidelium in cœlo esse incertam. Hæc est Satanica διαβολή, nunquam enim, ne per febrim quidem somniaui, spem de salute fidelium in cœlo esse incertam: sed impugnaui, & adhuc impugno vanum & falsum figmentum Bullingeri, & suorum gregalium de cœlo illo Empyreo, quod fingunt esse corpoream sedẽ supra hunc mundum, & regionẽ latissimã, corporalibus mãsionibus instructã, in qua Christus et Sancti localiter cõmorentur, et nũc stent, nunc sedeant, nunc deambulent. Hoc illud est figmentum, quod non mea, sed sacræ scripturæ autoritate damno. Hoc illud est somnium, quod non solum dixi, esse locum incertum, sed prorsus in rerum natura non esse. Bullingerus autem hoc ita inuertit, & deprauat, perinde ac si docuissem, spem de salute fidelium in cœlo esse incertam. Quid tali calumnia virulentius? At enim bone, scilicet, vir, non verum cœlum, quod filius Dei omnibus pijs parauit, sed fictitium

tium veſtrum cœlum reijcio: nec ſpem de ſalute fidelium in vero cœlo facio incertam, aut diſſoluo: ſed vana veſtra ſomnia de localibus ſeſsionibus, ſtationibus & deambulationibus ſanctorum in altero ſeculo rideo. Scilicet, quia non approbatur veſtrum ficticium cœlum, idcirco ſpes de ſalute piorum in vero cœlo redditur incerta, & diſſoluitur? Imò quia certum eſt verum cœlum, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præparauit, & certa eſt ſpes omnium piorum de cœleſti & æterna ſua ſalute, idcirco veſtra figmenta de cœlo veſtro Empyreo, & localibus in eo commorationibus, ſunt vaniſsima. Deinde non poteſt Bullingerus neſcire, quòd collocauerim pios ad Chriſtū, & Chriſtum ad patrem ſuum cœleſtem, quemadmodum paulò antè è priori ſcripto commemorauimus: et tamen effrenis homo tanta eſt impudentia, vt audeat palàm ſignificare, hoc eſſe pios collocare in Vtopia. An affirmare, quòd hi, qui ſunt cum Chriſto, & apud patrem cœleſtem, ſint in Vtopia, in qua hoſpites excipit Vtis, non eſt veram religionem in corde ſuo ridere, & Lucianum ſpirare? Scilicet, niſi fuerit cœlum Empyreum, & corporea regio, eaq; latiſsima, in qua Sancti localiter ſtent, aut ſedeant, aut deambulent, Sancti erunt in Vtopia, etiamſi fuerint apud Chriſtū, & Deum patrem cœleſtem? O execrabilem impietatem. Et hæc ſunt fundamenta, ſcilicet, firma, quibus quiuis fidelis tutò inniti poteſt. Sed Lucianicę impietati additur etiã vertigo. Paulò poſt .n. quaſi recantãs, et

 Fol. 784

pœnitentiam agens, manifeſtè, inquit, cernunt Chriſtum corpore & anima verè in cœlum aſcendiſſe, & non in Vtopiam, id eſt, in nullum locum certum, ſed ſurſum, in domum patris, in manſionē beatorum, æternæq; fœlicitatis. An non hoc eſt vertiginis ſpiritu manifeſtè exagitari? Antè cùm ego ſcripſiſſem, Sanctos eſſe apud Chriſtum, & apud patrem cœleſtem, ablegabat nos ad Vtopiam, vbi hoſpites excipit Vtis (hoc eſt) vbi nullus eſt nec angelorum nec hominum, ac ne Deus quidem ipſe: nunc veritatis potentia, præter animi ſententiā victus, reuocat ſe in viam, & quod in me reprehendit ac damnat, ſuis ipſe verbis confitetur. Sed hoc illud eſt quod Moſes ait: Percutiet te Deus amentia, & cæcitate ac furore mentis, vt palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. Niſi fortè ludat in vocabulo Vtopiæ, vt nunc quidē ſignificet ipſi omnino nihil eſſe, nunc autem in nullo loco eſſe: ſed vtcunq; ludat, certè nō poteſt notam tam impietatis, quàm vertiginis effugere. Si enim ſentit neceſſariò conſequi, quòd Chriſtus & Sancti eius nihil prorſus ſint, ſi non fuerint in cœlo illo Empyreo localiter, & in eo ſtent, aut ſedeāt, aut deambulent, phyſica circumſcriptione, & motione, impiè errat, & dabit etiam ſuo tempore, niſi reſipiſcat, huius impietatis pœnas. Cauillatur & illud, quod dixerim, ibi eſſe Deum patrem, vbi nos erimus: & nugatur neſcio quid, de exeunte portam quando venit, adeoq; quam mihi ſcurrilitatem aliàs affingit, impunè ſibi, etiam in re maximè ſeria, licere putat. Niſi enim reſpondeas ipſi iuxta viſio-

ta visionem cordis sui, de fictitio cœlo Empyreo, & de localibus in eo sessionibus ac deambulationibus, non solùm ridet, verumetiam calumniatur virulenter, nos docere, nec Christum, nec Sanctos agere vitam fœlicem, imò planè nihil esse. Quid ergo? falsum nè est, quod Deus pater ibi sit, vbi nos, qui credimus in Christum, erimus? Si falsum esse dicis, alia est impietas, quod genus tibi non est inusitatum. Quid enim est, quod Christus ait: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum: et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus? An pater, qui in hoc seculo est, vbi nos sumus, & facit apud nos mansionem, deseret nos in futuro seculo, & non amplius erit vbi nos erimus? Si autem verum esse fateris, quid rides? Sed non est mirum, quod cor Lucianicum rideat: mirum potius esset, si doctrinam verè piam seria grauitate exciperet. Repeto igitur, & iterum atq; iterum dico, nos, qui credimus in Christum, ibi post hanc vitam futuros, vbi est Christus. Christum autem ascendisse ad Deum patrẽ suum cœlestẽ, vt & nos eò adduceret, & Deus nobiscum, ac in nobis omnia esset. Nunquid ergo, quia nõ demõstratur locus physicus, qui circũscribat corpus Christi et corpora nostra in altero seculo, & in quo loco Christus cum Sanctis localiter & circumscriptiuè sedeat, aut deambulet, nec Christus, nec nos erimus vspiam, aut omnino non erimus? Quid? apud Deum patrem cœlestem esse, est ne nusquam, aut non esse? Quid magis impium dici potest? Sed benè habet. Si Christus

& nos fuerimus apud Deum patrem cœleſtem, non deerit nobis vel vita, vel cœlum, in quo fœliciſsimam ducamus vitam. Non autẽ erit tale cœlum, quale nobis Cingliani obtrudũt, ſed quale Deus eccleſiæ ſuæ præparauit. Quale nam illud? Hic non eſt mihi ratio habenda Luciani, qui, quod non de locorum circumſcriptione & locali deambulatione crepat, ridere ſolet, ſed dicti Prophetici & Apoſtolici: A ſeculo non audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus abſq; te, QVAE PRAEPARASTI expectantibus te. Liceat autem mihi ad huius rei explicationẽ ſequi veſtigia Auguſtini, vt quod ipſe de Deo commemorat, ego de cœlo, quod Deus diligẽtibus ipſum
Auguſt. in Pſalm. 85. præparauit, recenſeam. Intendat (inquit Auguſtinus) charitas veſtra. Deus ineffabilis eſt, facilius dicimus, quid non ſit, quàm quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc Deus. Mare cogitas, nõ eſt hoc Deus, omnia quę ſunt in terra, homines & animalia, non eſt hoc Deus. Omnia quæ ſunt in mari, quę volant per aërem, nõ eſt hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, poteſtates, archãgelos, thronos, ſedes, dominationes, nõ eſt hoc Deus. Et quid eſt hoc? Solũ potui dicere, quid nõ ſit. Quęris quid ſit? Quod oculus non vidit, auris nõ audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit? Nõ eſt ſimilis tibi in dijs Domine. Hactenus Auguſtinus. Quod ergo Auguſtino dictum Propheticũ & Apoſtolicũ licuit accommodare ad explicationem Dei, hoc liceat etiam mihi ad explicationem cœli, quod certè maximè omnium

nium pertinet ad ea, quæ Deus expectantibus ipſum præparauit, accommodare, imo in proprium ſuum vſum referre. Intendat ergo charitas veſtra. Cœlum, quod Deus eccleſiæ ſuæ præparauit, ineffabile eſt, facilius dicimus, quid non ſit, & quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc cœlum. Mare cogitas, non eſt hoc cœlum. Aërem cogitas, non eſt hoc cœlum. Aquas vel ſub firmamento vel ſupra firmamentum cogitas, non eſt hoc cœlum. Firmamentum ſtellis inſignitum cogitas, non eſt hoc cœlum. Dicitur quidem cœlum, nō eſt autem illud cœlum, quod Deus præparauit diligētibus ipſum. Quicquid enim eſt huius corporalis machinæ, conditum eſt ad præſentē tantùm in hoc mundo vſum, ideoq; etiam cum hoc mundo prę teribit. Ne fortè, inquit, eleuatis oculis in cœlum, videas ſolem & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit DOMINVS Deus tuus in MINISTERIVM (ſeu vt Hebræus habet, quæ diuiſit Dominus Deus tuus) cunctis gētibus quæ ſub cœlo ſunt. Et Petrus: Qui nunc ſunt, inquit, cœli & terra eiuſdem ſermone repoſiti ſunt, & ſeruantur igni in diem iuditij & perditionis impiorum hominum. Et mox: Veniet dies Domini ſicut fur in nocte, quo cœli, procellæ in morem tranſibunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, & terra & quæ in ea ſunt opera, exurentur. Hoc igitur cœlum, quod firmamentum vocatur, & quicquid nomine ſuperiorum & inferiorum aquarum continetur, non eſt cœlum illud, quod in præſentia inueſtigamus. Quod ergò eſt? Num

quod

quod vocant Empyreum, & ſedem corpoream, elatã ſuper hunc mundum, corporalibus manſionibus inſtructam, in qua incolæ aut ſtent, aut ſedeant, aut deambulent localiter? Nihil minus. Probauimus enim iamdudum, nullum tale cœlum in rerũ natura exiſtere. Et quid eſt hoc? Dicit quidem Auguſtinus alias: Cœlum eſt, vbi culpa ceſſauit: cœlum eſt, vbi flagitia non ſunt: cœlum eſt, vbi nullum mortis vulnus eſt. Sed haud ſcio, num curioſis quæſtionarijs ſatisfaciat. Solùm igitur poſſum dicere, quid non ſit. Quæris quid ſit? quod oculus nõ vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit? A ſeculo non audierunt, neq; auribus perceperunt. Oculus non vidit, Deus abſq; te quæ PRAEPARASTI (inter quæ eſt & hoc cœlum) expectantibus te. Quid ergo dicemus? Num quia hoc cœlum oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, idcirco eſt in Vtopia, vbi hoſpites excipit ἀυτὸς, & in rerum natura prorſus nihil eſt? Sic quidem iudicat, ſic ridet in corde ſuo, ſic etiam lingua ſua blaſphemè euomit Lucianus. Sed qui verè pij ſunt, ſciunt Spiritum ſanctum remittere nos hoc Prophetico, & Apoſtolico dicto non in Vtopiam, non ad Vtin, ſed ad Deum patrem cœleſtem: & ſignificare, nobis promitti, tam excellens cœlum, tam ſublimem beatitudinem, tam inſignem fœlicitatem, vt nullis humanis ſermonibus in hoc ſeculo exprimi, nullis auribus percipi, nullo corde concipi aut cogitari queat. In hac beatitudine non

iam

Iam nobis concionandum est de cœlo corporali, de sessionibus, & deambulationibus corporalibus, de quantitate aut qualitate corporali, de discrimine sexus corporali, de capillis corporalibus, deq; alijs id genus rebus corporalibus & mundanis. Scimus quidem in resurrectione Mariam fore Mariam, Ioannem fore Ioannem, scimus stellam à stella differre in gloria: sed scimus etiam corpora nostra fore spiritualia & cœlestia, scimus filios resurrectionis fore ἰσαγγέλους, hoc est, æquales angelis, & filios Dei. Explica tu nobis, quid sit corpus spirituale, quid cœleste, quid angelus, quid filius Dei, non sermo tantùm, sed & cogitatio deficit. Nunquid autem idcirco nihil erunt, quia non ascendunt, nec in linguam, nec in animum humanum? Eadem ratione nihil etiam esset Deus ipse. Sed benè habet, sicut Deũ nemo vidit vnq;, sed filius vnigenit⁹, qui est in sinu patris, ipse exposuit & dixit: In domo patris mei (hoc enim dictum Christi, nostrum est, nõ aduersariorum) mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem vobis, vado paraturus vobis locum. Et si abiero ad parãdum vobis locum, iterum veniam, & assumã vos ad meipsum, vt VBI EGO SVM, ET VOS SITIS. Quæ est ergo illa domus patris? Quæ mansiones? Quis locus? Vbi erit Christus, vt & nos ibi simus? Domus certè patris, de qua Christus hîc loquitur, non est cœlum illud corporeum & Empyreum, quod fingunt consistere supra hunc mundum & instructum esse corporalibus mansionibus, ac deambulationibus. Hoc enim cœlũ (necesse autem est, vt hoc

iterum atq; iterũ inculcem, vt pius Lector ſciat, quod cœli genus reijciatur) in rerum natura non extat. Et ſunt alioqui varia genera domus ſeu habitaculi Dei, quæ in priori ſcripto commemorabam, de quibus in præſentia non loquimur. Non ignoramus, etiam templum Hieroſolimis extructum, domum patris dictũ. Sed cùm quæritur, quæ ſit illa domus patris, de qua Chriſtus loquitur, cùm dicit: In domo patris mei, multæ ſunt manſiones, non poteſt vllius hominis ſermone aptius & congruentius reſponderi, quàm verbis primùm Salomonis. Si cœlum cœli capere te non poſſunt, quanto minus domus hæc. Et Dauidis: Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tuo fugiam? Et Eſaiæ: Cœlum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt ergò iſta domus quam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus requietionis meæ? Et Hieremiæ: Cœlum & terram ego impleo. Hæc etſi antea perſpicuè à nobis expoſita ſunt, tamen tergiuerſatio aduerſarij coëgit me ea repetere. Illud enim vnum ſtudet, vt lectorem à ſtatu cauſæ, aliò abducat: & cùm in anguſtum redactus eſt, aut fortiter diſſimulet, aut faciat, quod canis in Nilo, bibit, & fugit, allatrat, proijcit conuitium aliquod, interim etiam nonnulla abſurda fingit, & aliò ſe proripit. Hoc eſt aduerſarij artificium. Quare cùm in præſentia ſermo ſit de ea domo patris, de qua Chriſtus in prefato dicto loquitur, neceſſe habui, explicationem non meam, ſed Spiritus ſancti repetere: vt cognoſcamus domum patris, non eſſe cœlum Cinglianum, ſeu Empyreum, quale

quale ſæpe nunc deſcriptum eſt, ſed eſſe cœlum incorporeum & ſpirituale, quod & cœleſte regnum dicitur, & quod, vt dicebamus, nec locis nec locorum ſpacijs ſeu interuallis, ſed maieſtate Dei definitur. Si tu hæc negaueris, aut riſeris, ſcias nobis non videri mirum, quod qui Lucianũ ſpirat, oracula ſacrę Scripturæ, aut neget, aut rideat. Si autem non negaueris, quid tergiuerſaris? quid abſurditatibus offenderis? cur intellectum tuum verbo Dei captiuum non tradis? Abſurdum videtur cœlum eſſe vbiq; Multò etiam abſurdius videtur, diabolos quoq; eſſe in cœlo. Et nugaris, neſcio quæ. Quis cupiat eſſe in eo cœlo, in quo etiam ſint Cacodęmones? Nec cogitas quid tibi reddi poſsit. Quis cupiat cum eo eſſe Deo, qui eſt in inferno, iuxta illud Pſalmi: Si deſcendero ad infernum, ades? Sed ſic eſt. Dogmatiſtæ Cingliano-rum non hoc agunt vt cauſa piè explicetur, ſed vt ſuum theatrum in officio, quod exigunt, retineant, & laudem victoriæ reportent. Fruantur ergò ſuo Thraſonico inſtituto: nos in noſtro quoque, ſed pio pergemus. Domus igitur Dei patris, de qua in præſentia loquimur, non definitur interuallis locorum, aut corporalibus manſionibus, ſed maieſtate Dei, vt vbicunque Deus maieſtate ſua regnat, ibi ſit domus eius, quæ eſt cœlum incorporeum, & ſpirituale, ac cœleſte regnum. Cùm autem de maieſtate, quæ eſt omnipotentia Dei, ſermo eſt, loquimur de ea, aut generaliter, vt complectatur, tam clementiam quàm ſeueritatem Dei: aut ſpecialiter, vt alterum tantùm

genus complectatur. Cùm ergò loquimur de maiestate & omnipotentia Dei generaliter, tunc in domo Dei patris & in regno cœlesti, non continentur tantùm Sancti, verumetiam homines impij & diaboli. Itaq; si hoc modo sermo est de cœlesti regno, rectè dicitur comprehendi in eo non tantùm cœlum, sed & infernum, nec tantùm pios, sed etiam Herculem, Numam Pompilium, adeoq; omnes impios, Ethnicos, Iudæos, & Turcas: nisi fortè negaueris, maiestatem Dei & omnipotentiam eius pertingere vsq; ad infernum, & ad diabolos. Cùm autem specialiter ac distinctim loquimur, aut de maiestate, clementiæ, & gratiæ Dei, tunc soli angeli boni & pij homines continentur in domo patris, & in regno cœlesti. Et huc pertinet, quod in Apocalypsi dicitur: Foris canes, venefici, impudici, homicidæ, & idolis seruientes, ac omnis qui amat & facit mendacium: aut de maiestate seueritatis Dei, tunc soli diaboli, & damnati homines continentur in domo Dei, hoc est, in eius domus parte, quæ est infernus. Etsi enim Deus natura sua non est nisi bonitas, benignitas, misericordia, clementia & gratia ipsa, sicut & ecclesia hactenus rectè precata est: Deus, cuius proprium est misereri, & parcere: tamen dicitur Deus iratus & seuerus iudex, & damnator non suo ingenio, sed vitio hominum impiorum, & diabolorũ, qui cùm sint extremè mali, si obuertantur, summæ bonitati Dei magnitudine eius sic obruuntur, & opprimuntur, quemadmodum cæcutientes oculi splendore solis excæcantur, non solis, sed suorum oculorum vitio.

vitio. Et huc pertinet, quod Dominus apud Malachiam dicit: Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, &c. Hæc vt sunt certissima, ac verissima, ita nihil prorsus absurditatis apud pios continent. Ac potuisset ea Bullingerus, si quicquam in eo candoris esset, planè è scriptis meis intelligere: sed omnino obstinauit, non assentiri: obstinauit etiam illud vnum agere, vt dissimulato principali causæ statu, vnum & alterum verbũ è scriptis meis excerpat, quod calumnietur, quod inculcet, et quo in theatro suo applausum excitet. Hactenus de domo Dei, de qua aliàs copiosius diximus. Dicamus nunc etiam de mansionibus. Cùm enim Christus dicit: In domo patris mei, mansiones multæ sunt, Quid? loquitur ne de corporalibus & spacio locorum circũscriptis habitaculis? Nihil minus. Deus pater non est corporeus: nec angeli eius sunt corporei. Et corpora nostra à resurrectione, etsi substantia sua manent vera corpora, non tamen manent terrena et animalia, sed fiunt spiritualia & cœlestia, quæ non amplius indigeant corporalibus mansionibus. Qualis autem est Deus pater, talis etiam est domus eius: & quales sunt angeli, ac à resurrectione homines, tales etiam sunt mansiones eorum, nempè, spirituales & cœlestes. Ac omninò tales sunt mansiones, quales sacra Scriptura infinitis penè dictis describit: Qui manducat (inquit) carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me MANET, & ego in illo. Et iterum. Qui MANET in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Ac mox: Si

mãseritis in me, & verba mea in vobis MANSERINT, quicquid volueritis, petetis, & fiet vobis. Ac rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & MANSIONEM apud eum faciemus. Et aliàs: Vnctio, quam vos accepistis ab eo, manet in nobis. Ac iterum: Deus charitas est, & qui MANET in charitate, in Deo MANET. Ex his & alijs id genus dictis facilè colligi potest, quale genus mansionum sit in domo patris, videlicet non corporales, non locales, non locorum spacijs distinctæ, è quibus corporales egressiones, & ad quas regressiones fiant, sed spirituales & cœlestes, vt tales sint, qualis & domus est, & Deus pater ipse.

Quid autem de loco, de quo dicit Christus: Vado ad parandum vobis locum? Idem planè de eo sentiendum est, quod de mansionibus. Loquimur autem de loco propriè, siue corruptibili, siue incorruptibili, qui est superficies corporis continentis. Tali loco nõ indigent, nec spiritus, nec corpora spiritualia. Et manifestum est, quòd hoc genus locorum, sicut & tempus, vnà cum cœlo & terra exuretur. Creabuntur enim noui cœli, & noua terra, non in quibus sint locus & tempus, sicut in hoc mundo, sed in quibus habitabit iustitia. Et cùm cœli non amplius mouebuntur, nullus etiam erit amplius, nec in cœlo nec in terra motus localis. Non enim est vel maiestatis vel perfectionis, sed imbecillitatis, ac imperfectionis, moueri de loco in locum localiter. In resurrectione autem nihil erit imbecille & imperfectum. Quid igitur

fiet?

fiet? Respondeo iterum, non meis, sed Propheticis et Apostolicis verbis: A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus nō vidit, Deus, absq; te, quæ præparasti (inter quæ sunt etiã mansiones illæ & loca) expectantibus te. Quod ergò Christus dicit: In domo patris mei multæ sunt mansiones, & vado ad parandum vobis locum, breuiter & propriè hanc habet sententiam, sicut & suprà explicabam, & hîc, quia ita res fert, paucis repetendum: propria, inquam sententia hæc est: Vado iam ad passionem, & mortem, qua parabo vobis propitium Deum patrem (hoc enim propriè est parare locum in domo patris) vt non solùm Patriarchæ & Prophetæ fruantur per clementiam Dei æterna apud Deum beatitudine, verũ etiam vos ipsi, & quotquot deinceps per sermonem vestrum in me credunt, consequantur in cœlesti regno æternam salutem. Hæ enim sunt, multæ illæ, & diuersæ in domo patris mansiones, videlicet, quòd non tantùm Patriarchæ, Prophetæ, & quotquot fuerunt pij ab initio orbis terræ, ante aduentum Christi in carnem, sed etiam Apostoli, Martyres, & quotquot credunt in Christum, post aduentum eius, recipiuntur in æterna tabernacula, et fruuntur immortali illa, & incontaminabili, atq; immarcescibili, de qua Petrus loquitur, hæreditate. Est & ad huius loci interpretationem referendum, quod in Epistola ad Hebræos scriptum est: Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Quod igitur Christus dicit: Vado, paraturus vobis locum, illud

vult

vult dicere: Hactenus non habetis ullam manentem, firmam & fixam manſionem & ſtabilem locum, ac nullam certam fœlicitatem in hoc ſeculo. Nunc autem ego vado mea morte paraturus nobis firmiſsimam & certiſsimam fœlicitatem, qua perpetuò in cœleſti regno fruemini. Habes Chriſtum ab externo & viſibili ſpectaculo aſcenſionis ſuæ in altum, è monte Oliueti, peruenisſe ad Deum patrem ſuum in cœlis (a quo tamen nunq̃ abfuerat) & ad domum eius. Cum autem deus pater impleat cœlum & terram, facilè intelligi poteſt, quò & Chriſtus filius eius peruenerit.

Nunc idem demonſtrandum eſt, ex dextra Dei, ad quam conſedit, ſi prius excuſſero quædam obiecta aduerſarij, & inprimis vanum ſophiſma, quod aduerſa-
Fol. 74. rius de aſcenſu Chriſti in cœlum, & ſuper omnes cœlos ſtruit. Si corde integro (inquit) atq̃ ſyncero credis, ſicut rotundo ore confiteris, Brenti, Chriſtũ DOMINVM vero ſuo corpore aſcendiſſe in cœlum, & manere in cœlo, quorſum obſecro pertinent illa tua uerba, quæ folio 105. ſic leguntur: Quare nihil aliud reliquum eſt, q̃ quòd Chriſtus cũ corpore ſuo, non ſolùm nõ concludatur, vel vllo alio loco, vel locali illo, quod Cingliani fingunt, cœlo Empyreo, uerumetiã penetrauerit, & euaſerit omnia loca, ſiuè ſupera, ſiuè infera, ſiuè terrena ſiuè cœleſtia, &c. Etenim ſi hæc tua uerba, Iogodęale Brẽti, uera ſunt, quid quęſo dediſti nobis, cũ confeſſus es Chriſtũ corpore ſuo aſcẽdiſſe in cœlũ? An non ſonant verba fidei, aſcendiſſe Chriſtum corpore ſuo in cœlum, & non penetrauiſſe cœlum, id eſt euaſiſſe,

euaſiſſe, vel elatum eſſe extra cœlum? Quis neſciat ingens eſſe diſcrimen inter hæc, Penetrare cœlum, id eſt, efferri extra cœlum, aut euadere cœlum, & aſcendere in ipſum cœlum? Proinde cum tu dicis, Chriſtum aſcendendo in cœlum, elatum eſſe extra cœlum, euaſiſſéq; omnia loca, infera & ſupera, terrena & cœleſtia, negas profectò ipſum elatum eſſe in cœlum. Ergo negas nunc hiſce verbis (Chriſtum euaſiſſe omnia loca) id quod antea dediſti hiſce verbis: Credo Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, Et quæ ſequuntur: Defeſſus enim ferè ſum, recitando tot inania aduerſarij verba. Primùm igitur, vt reſpondeam: Credo corde integro & ſyncero, confiteor etiam rotundo ore, Chriſtum DOMINVM vero ſuo corpore aſcendiſſe in cœlum & manere in cœlo. Sed duo hîc obſeruanda ſunt, vt hæc fides & cõfeſsio rectè intelligantur. Alterum eſt, de corpore, quo Chriſtus aſcendit in cœlum: alterum de cœlo, in quod aſcendit, Nam quod ad corpus Chriſti attinet, non eſt controuerſia de veritate eius, Credo enim & fateor, quòd Chriſtus ſemper ſiue in cœlo ſiue in terra, retineat verum corpus, quòd quidem ad ſubſtantiam eius attinet. Controuerſia autem in illo conſtat, Num Chriſtus aſcendendo in cœlũ, & ſuper omnes cœlos vt omnia impleat, retineat veritatem corporis? Hîc Cingliani vociferantur, ſi Chriſtus vnà cum corpore ſuo omnia implet, non retinet, ſed amittit veritatem corporis. Nos verò negamus iterum atq; iterum, ſed dicimus, affirmamus & aſſeueramus, quòd Chriſtus, ſiue ſit in nullo loco localiter,

siue in vno tantùm loco, siue in multis, siue in omnibus, & siue ascendat super omnes cœlos, siue descẽdat in infimas partes terræ, semper tamen retineat veritatem corporis sui, quod ad substantiam seu essentiam eius attinet, quemadmodum suprà copiosè, & firmiter est demonstratum. Deinde, Bullingerus existimat ingens esse discrimen inter penetrare cœlum & ascendere in ipsum cœlum: ac putat me mecum ipso pugnare. Si Christus (inquiens) corpore suo, iuxta tuam doctrinam, penetrauit, & euasit omnia loca, tam infera q̃ supera, tam terrena quàm cœlestia, ergò ne nunc neq; in cœlo quidem ipso, neq; est in terra, vtpote quę omnia illũ euasisse dicis? vbi itaq; est Christus? Amisimus ne Christum? vbi denicq; est tua illa vbiquitas? Si vbicq; est, ergo in cœlo est, ergo in terra est? &c. Vide mihi, obsecro te, quàm secure ludat suauis homo, ac etiã num de appræhenso, & capto Brentio triumphũ agat. Me igitur miserũ, quid faciam? quò me vertam? Sed huic nostro aduersario aliud accidit, quàm in fabulis, Aiaci. His enim furijs agitatus, existimabat, se grassari in principes Græcorũ, cum grassaretur in gregem ouium. Bullingerus autẽ rabie inflammatus, putat, se mihi homini misero insultare, cùm spiritui ipsi sancto insultet. Spiritus enim sanctus dicit per Euangelistam Marcum, de Christo: Receptus est in cœlum. Et per Lucam: Assumptus est in cœlum. Idem spiritus sanctus dicit per Apostolum: Habemus Pontificem, διεληλυθότα, hoc est, qui peruasit, seu penetrauit cœlos, Et iterum, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος, sublimor cœlis factus.

Fol.75.

Heb.4.

Heb.7.

Ac rur-

Ac rursus: Ascendit super omnes cœlos. Vtrunq; dicitur à spiritu sancto, ascendit in cœlum, &, penetrauit, seu peruasit cœlos, &, ascẽdit super omnes cœlos. Quare, cum ego idem planè dicam, idem commemorem, idem doceam, & tamen aduersarius mihi insultet, perinde ac si docerem absurda, pugnantia, & omnibus modis explodenda, quid aliud facit, quàm quòd nomine quidem me exagitet, reipsa autem manifestè sit in spiritum ipsum sanctum, tanquam secum pugnantem, & absurda docentem, contumelios⁹? Et hæc iterum sunt fundamenta firma, quibus quiuis fidelis tutò, scilicet, inniti potest, (hoc est) Ad populum phaleras. Sed reportabit pyrgopolinices suam mercedem. Nos, quia scimus, spiritum sanctum non pugnare secum, affirmamus vtrunq;, videlicet, Christum ascendisse in cœlum, inq; cœlo versari, & penetrasse cœlum, ac ascendisse super omnes cœlos, verissimum & certissimum esse. Nihil quidem minus videtur homini cæcato, & carnalibus suis de fictitio cœlo Empyreo somnijs fascinato, ei autem, qui ex verbo Dei de ratione veri cœli rectè eruditus est, nihil est probabilius, & congruentius. Cum enim post externum & visibile ascensus Christi spectaculum dicitur, Christum cum corpore ascendisse, & assumptum in cœlũ, significat, Christum iam non amplius ducere vitam in his terris, externã, corporalẽ, familiarẽ, pro huius mundi ratione, qualẽ duxit, cùm vel officio docendi in hac terra, inter Iudæos fungeretur, vel à resurrectione per quadraginta dies, familiariter cum suis *Ephes. 4.*

discipulis conuersaretur: sed ducere cœlestem vitam, in summa maiestate & beatitate. Scientes (inquit Paulus) quod Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Et Petrus: Oportet (inquit) Iesum Christum cœlum accipere, vsq; ad tempora restitutionis omnium. Oportet (inquit) accipere cœlum. Quod? Num Empyreum? sed hoc est cœlum fictitium. Christus autem accepit verum cœlum, quod est cœlestis vita, cœleste regnũ, cœlestis maiestas, vt iam non amplius in terris ambulet humano more, sed ducat vitam in regno Dei patris, cœlesti more. Quod si veteres ad hunc modum intelligunt, Christum carne sua non esse in terra, sed in cœlo, hoc est, Christum nunc ab ascensu suo in cœlum non amplius ducere in his terris, terrenam, sed apud Deum patrem suum, cœlestem vitam, rectè & piè sentiunt, nec quisquam nostrum est, qui hoc vnquàm negauerit. Si autem intelligunt, Christum carne sua in cœlo Empyreo, ita circumscriptum esse loco, vt corpus eius non possit esse in cœna, nec ipsum humanitate sua vnà cum diuinitate omnia præsentissimum, tàm in cœlo, quàm in terra, gubernare, sed in fictitio illo cœlo, aut sedere, aut stare, aut de loco in locum deambulare, hîc demum nihil amplius sumus ipsis obnoxij. Christus enim sic est in cœlo, sic ducit cœlestem vitam, vt tamen in nullo loco ita includatur, vt non reliqua omnia cœlesti modo impleat. Quam sententiam explicat alterum illud dictum, quod in Apostolicis scriptis extat, Christum corpore suo penetrasse cœlum,

cœlum, ſublimiorem factum cœlo, & aſcendiſſe ſuper omnes cœlos. Significat enim, Chriſtum non ita, vni & alteri loco, vel in hoc firmamento, ſtellis inſignito, vel in alio corporali cœlo affixum eſſe, vt nec ſit, nec poſsit eſſe etiam in alijs locis: ſed euaſiſſe ſuper omnes cœlos, vt omnia impleret, & vbiuis regnaret. Nam quemadmodū Deus ipſe dicitur eſſe ſupra mundum, & extra mundū, non quòd non ſit in mūdo, ſed quòd nō ſit ita in mundo, vt locis huius mundi cōcludatur. Non enim vnum tantùm cœlum, non vnam tantùm terram, ſed omnia in cœlo & in terra implet, & coràm gubernat: Ita etiam Chriſtus dicitur corpore ſeu humanitate ſua penetraſſe cœlū, & aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, non quòd deſeruerit hoc cœlū, aut terram, & quæ in eis ſunt, ſed quòd non in hoc cœlo ita hæreat, vt non etiam omnia alia impleat, & tam in cœlo, quàm in terra regnet. Apud Paulum dicitur Chriſtus deſcēdiſſe in infimas partes terræ, & poſtea aſcendiſſe ſuper omnes cœlos. Quid? Num hæc ita intelligenda ſunt, quòd Chriſtus, poſtquàm regreſſus eſt, ex infimis terræ partibus, & euaſit ſuper omnes cœlos, deſeruerit tam infimas terræ partes, quàm omnes cœlos? Sic quidem intelligit craſſus Cinglianus, qui præ cæcitate mentis ſuæ, non poteſt aliter de deſcenſu & aſcenſu Chriſti imaginari, quàm ſi quis corporali modo ex ima valle, ad quam paulò antè deſcenderat, in altiſsimum montem regrederetur, Et cum dicit Epiſtola ad Heb: Conſedit in dextra maieſtatis in excelſis, non poteſt de hac dictione (in EXCELSIS) aliud

cogitare, quàm de ſupernis locis cœli, quæ ſunt ſuper capita noſtra, quaſi verò Antipodibus, & periæcis Chriſtus non ſit in excelſis, ſed iuxta Cinglianorum ſomnia ſub pedibus aut à latere eorum. Quæ igitur Paulus de deſcenſu Chriſti in infimas partes terræ, & de aſcenſu eius ſuper omnes cœlos ſcribit, non ſunt intelligenda de humano more deſcendendi & aſcendendi, quo prior locus deſeritur, & alius occupatur: ſed de diuino more, quo ita deſcenditur & aſcenditur, vt omnia tam infima quàm ſuprema occupentur, teneantur & conſeruentur. Sic Chriſtus deſcendit in infimas partes terræ, non vt eas deſerat aſcenſu, ſed vt eas in poteſtatem ſuam redigat, & in ipſis coràm præſens dominetur. Sic aſcendit ſuper omnes cœlos, non vt deſerat cœlos, ſed vt eos occupet, potenter teneat, & coràm gubernet. In hoc (inquit Paulus) mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. Nam quod Chriſtus hoc modo deſcenderit, & aſcenderit, videlicet non deſerendo ea, ad quæ deſcendit, & ſuper quæ aſcendit, ſed occupando, & in poteſtate ſua coràm retinendo, ac gubernando, teſtatur Chriſtus ipſe, cùm ait: Data eſt mihi OMNIS poteſtas in cœlo & in terra. Et Paulus: Fecit eum ſedere ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum ac poteſtatem, & virtutem & dominium, & OMNE NOMEN, quod nominatur non ſolùm in ſeculo hoc, verumetiam in futuro. Et iterum: Extulit eum in ſummam ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine

Ieſu

Iesu omne genu se flectat, cœlestium, & terrestrium, & infernorum. Quid ergò ad hæc dicemus? Quod est illud nomen, quod Deus donauit Christo? Non est aliud nomen super omne nomen creaturę, præterquam nomẽ ipsum Dei. Donauit ergò Christo nomẽ DEI. Certò sciat, inquit Petrus, tota domus Israel, quòd DOMINVM & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Num ergò existimas, quòd Deus donando nomen DEI Christo, donauerit ei, honoris tantùm gratia, inane vocabulum? Nihil certè minus, Non est Deus, vt homo. Sic quidem in humanis rebus fieri solet, vt aliquoties homo tribuat homini nomen Leosthenis, aut Demostenis, hoc est, Leonharti, aut Volckharti, qui ne lepusculi quidem, aut cuniculi animum, seu robur habet: tantũ abest, vt habeat robur leonis, aut multitudinis populi. Quod autem Deus nominat, quod Deus vocat, hoc rẽ ipsam vnà cum nomine habeat, necesse est. Christus igitur homo, donatus est à Deo, non tantùm nomine, sed etiam reipsa & maiestate Dei. Maiestas autem Dei est, sic descendere, sic ascendere, vt non deserat ea, à quibus vel descendit, vel ascendit, sed potius accipiat, & teneat ea in sua potestate & gubernet. Quare etiam Christus nomine & maiestate Dei donatus, sic descendit in infimas partes terræ, & sic ascendit super omnes cœlos, vt iam sit infra, supra, extra, & intra omnia, tam in cœlo, quàm in terra, tam super cœlos quàm infra terrã. Vides nunc, Bullingere, vanitatẽ tuorũ sophismatũ: Christus penetrauit cœlos, penetrauit

trauit omnia, supera, & infera. Non est igitur, neq; in cœlo neq; in terra. Quin dicis etiam: Deus fecit Christum sedere ad dexteram suam, super omnem principatum, & super omne nomen. Ergo Christus non est amplius princeps, nec habet vllum nomen. Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis, hisce vestris strophis & sophismatis. Nam, quod dicis, me mea vbiquitate infœlici expungere, & tollere veram Christi in cœlum ascensionem, videres ipse tuam impudentiam, & impietatem, nisi figmento Empyrei cœli, in quo sunt locales commorationes, stationes, sessiones & deambulationes, cæcatus esses. Dicamus igitur apertius, quò Christus ab externo ascensus sui in cœlum spectaculo peruenerit. Primum ostendimus clarè, cœlum illud Empyreum, quod Cingliani fingunt, esse corporale, & corporalibus mansionibus instructum, non sit in rerum natura, sed sit fictitium. Non potest igitur dici, quòd Christus ad illud peruenerit, & in eo commoretur. Deinde, etsi sunt nonnulli veteres scriptores, qui affirmant Christum intulisse corpus suum syderibus, & in firmamento stellis insignito habitare, tamen Cingliani ipsi negant, & affirmant eum hoc visibile cœlum supergressum. Nec mirum, Hoc enim cœlum, procellæ in morem, sicut Petrus ait, transibit, & exuretur igni. Vbi igitur reliqua maneret sedes Christi? aut quò Christus se interea, dum cœlum & terra igni deuorarentur, conferret? Quò igitur tandem à spectaculo ascensus in altum peruenit, aut consedit? Si peruenit (inquies) ad Deum patrem,

& ad

& ad dextram Dei patris, an non conſcendit in hoc cœlum, quod nobis eſt ob oculos poſitum? Manifeſtum enim eſt, quòd Deus in hoc cœlo habitet, & quòd hoc cœlum ſit ſedes Dei. Teſtificatur hoc non ſolum publica conſuetudo, qua ſolemus inuocaturi opem Dei, oculos ad hoc cœlum attollere, verumetiam ſacra ipſa Scriptura, quę Deo hoc cœlum pro throno, & ſede aſsignat: Cœlum (inquit) mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Et: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Ac rurſus: Deus in cœlo, tu autem ſuper terram. Et iterum: Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Quid plura? Vniuerſa ſcriptura collocat Deum in hoc externo & viſibili cœlo. Cur igitur non collocaremus eò etiam Chriſtum Dominum noſtrum? De hac re dictum eſt copioſe in alijs ſcriptis. Sicut enim nos inuocaturi Deum attollimus oculos verſus hoc externum cœlum, non quòd concludendus ſit Deus in hoc cœli ſpacium, quamuis ampliſsimum, ſed quòd obſeruanda nobis ſit pædagogia, quæ honeſtos pueros decet, ne videamur alium Deum, quàm qui condidit cœlũ & terram, inuocare, & vt excitemur ad quærenda cœleſtia. Cùm ſtamus ad orationem, inquit Auguſtinus, ad Orientem conuertimur, vnde cœlum ſurgit, non tanq̃ ibi ſit Deus, & quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui vbiq; præſens eſt, non locorum ſpacijs, ſed maieſtate potentiæ: Sed vt admoneatur animus, ad naturam excellentiorem ſe conuertere, id eſt, ad Dominum, cùm ipſum corpus eius, quod eſt terrenum,

ad corpus excellentius, id est, ad corpus cœleste conuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis: & plurimum expedit, vt omnium sensibus & paruulorum & magnorum, benè sentiatur de Deo. Et ideò qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est, vt cœlum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum, si Deum, quem adhuc corporaliter cogitãt, in cœlo potius credant esse, q̃ in terra: vt cùm aliquando cognouerint, dignitatem animæ, cœleste etiã corpus excedere, magis eum quærant in anima, q̃ in corpore etiam cœlesti. Hæc ille. Ita, & sacra Scriptura collocat Deum in hoc cœlo, tanq̃ in suo throno, nõ quòd sentiat, eum, qui est vbiq; totus, in cœlo et in terra, certis locis circumscribi: sed quòd nobiscum repueraſcat, & pro nostro more tribuat cœlum Deo, terram autem hominibus, propterea, quòd, quemadmodum cœlum & terra sunt in oculis nostris distinctissima, ita etiam maximum omnium sit discrimen inter regnum Dei cœleste, & inter regna hominũ terrestria. Nam, cùm Scriptura pro maiestate Dei paulò grandius loquitur, non iam amplius dicit: Deus in cœlo, tu autem super terram, quasi vero Deus, non sit etiam super terram, sed dicit: Cœlum & terram ego impleo. Et: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Et excelsior cœlo est, quid facies? profundior inferno, & vndè cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari. Quare non est sentiendum,

dum, quòd, cùm Christus ascendit in cœlum, & venit ad Deum patrem, atque consedit ad dextram eius, hæserit, & substiterit, in hoc externo & visibili cœlo, sed peruaserit omnes cœlos, vt omnia tàm infera quàm supera impleret. Non capit hoc humanus intellectus, neque mirum. Non enim proponitur nobis carnali ratione intelligendum, sed spirituali fide credendum. Habemus manifesta oracula Spiritus sancti, quæ ducunt Christũ ad Deũ patrem suum, qui cœlum & terram implet: & collocant eum ad dextram Dei patris sui, quæ est omnipotentia eius, vbiq;, vt ita dicam, diffusa: ac euehunt eum super omnes cœlos, super omnes principatus: & subijciunt omnia sub pedibus eius: dantq; ei nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quò igitur te properipies, vbi non inuenias Christum verum Deum & verum hominem præsentissimum? Non patitur hoc, inquies, humani corporis natura. Fateor, si naturam corporis per se consideraueris: sed si eam cum diuina natura personaliter cõiunxeris, sicut est in Christo cõiuncta, nõ mutatur quidem substantia eius, nec aboletur, sed ita ornatur, vt cœlesti gloria ac diuino honore coronet, ac super omnia opera manuũ Dei constituatur. Quod, si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit ea maiestas, quã Deus præparauit diligentibus ipsum, quanto magis ab humano intellectu, abscondita est illa maiestas, qua Christus

filius Dei in cœleſti ſuo regno, apud Deum patrẽ ſuum, & in dextra eius illuſtratus eſt.

Cæterum quia ſatis multa diximus de cœlo, dicamus etiam de inferno. Ibi verò nactus eſt Bullingerus oportunum campum, in quo ingenium ſuum, hoc eſt, ſtudium calumniandi, & rectè dicta peruertendi explicet. Repetit & inculcat, infernum eſſe locum certum, non ſupra nos in cœlis, neque penes nos in terris, ſed infra nos. Ait, impios deſcendere, non aſcendere in infernum. Neq; cœlum (inquit) quæremus in terris, neque infernum in cœlis. Dicit, ſathanam non eſſe in cœlo, ſed è cœlo deturbatum, in imum vſq; barathrum. Interim conqueritur etiam alicubi, ſimplices hac diſputatione ita turbari, vt neſciant, quò ſe vertant. Primùm igitur optarem ipſe, vt Cinglius, Bullingerus, & gregales eorum manſiſſent in verè pia doctrina, & in ſimplici confeſsione fidei, de cœna Domini, & nonnullis alijs articulis: nec conati eſſent verã corporis & ſanguinis Chriſti præſentiã è cœna, argumẽtis ductis ab incarnatione Chriſti, ab aſcenſu eius in cœlum, & à ſeſsione eius ad dextram Dei patris, exturbare, ſic enim omnia fuiſſent in eccleſia tranquilliora: & ego ipſe nunc in hac canicie minus haberem negotij, & moleſtiæ. Sed quia Cingliani ad confirmanda ſua figmenta falsò interpretabantur hos fidei noſtræ articulos, idcircò non fuit deſerenda profeſsio veritatis. Et cùm inter alia finxerint cœlum corporeum, extra hunc mundũ, in quod corpus Chriſti ita concludebant, vt ne omnipotentia quidem Dei

Dei posset esse simul in cœlo, & in cœna: necessarium fuit, rationem veri cœli, ad quod Christus corpore suo ascendit, & in quo beati sempiterna fœlicitate, vnà cum Christo fruentur, diligentius explicare. Hìc sese obtulit occasio dicendi etiam de inferno. Ad reijciendam enim absurditatem de corporeo, & commentitio cœlo Cinglianorum, rectè opponitur absurditas de corporali & locali inferno. Nam si cœlum illud Cinglianum, est certus & corporeus locus, qui sit latissima regio supra & extra hunc mundum, in qua regione sint corporeæ mansiones, corporeæ stationes, sessiones, progressiones, & deambulationes, certè necessariò sequitur, quòd infernus, qui est cœlo ex diametro oppositus, sit regio latissima infra hunc mundum, in qua regione, diaboli & damnati homines vnà commorentur, sicut in cœlo angeli, & homines beati. Sed haud scio, num permittatur in inferno damnatis deambulare, quod est voluptatis, sicut permittitur beatis in cœlo. Si ergò infernus est regio latissima, eáq; corporea, & cœlo opposita, certè non potest esse, nisi vel intra terram, aut in centro terræ, iuxta eorum sententiam, qui opinantur esse Antipodes: vel infra terram, iuxta illorum sententiam, qui contendunt non esse Antipodes, nec terram esse in medio aquarum positam: vel prorsus extra hunc mundum. Quid autem potest absurdius dici? quid anilius cogitari? Opposui ergò in priori scripto Genesin Moysi, de creatione mundi, & scholam Geometrarum. Sed Bullingerus in angustum redactus, allatrat quidem, statim

autem exilit, & ad ſuum vomitum redit. Quid enim faceret? Negaret deſcriptionẽ mundi apud Moyſen? Sed cogitauit ipſe, hoc impudentius, & deteſtabilius eſſe, quam quod in Eccleſia filij Dei ferri poſſet. Concederet ac affirmaret? Sed eo ipſo negaret ſuum figmentum de latiſsima, cacq; corporea regione intra vel infra terram, aut hunc mundum. Quare tutiſsimum ratus, iſta vno tantùm & altero verbo attingere, & confeſtim ſe ad vetus ſuum artificium, (hoc eſt) ad excogitandas calumnias conuertere. Dicit infernũ eſſe certũ locum. Si intelligit certũ eſſe, quòd ſit infernus, in quo damnati perpetuò crucientur, quis noſtrũ hoc vnquã negauit? qui cum pugnat? Si autẽ intelligit infernum eſſe certũ locum corporalẽ, hoc eſt, ſuperficiẽ corporis cõtinentis, qualẽ locũ fingit etiã de ſuo cœlo, falſum eſt, nec poteſt authoritate ſcripturæ probari, Nam de ſcripturæ teſtimonijs, quæ recitat paulo pòſt ſuo loco. Addit: Non ſupra nos: ſi intelligit per ſupra, ſuperiorẽ locũ, qui ſit ſuperficies corporis cõtinentis, rectè dicit. Necq; enim infernus eſt talis locus inferior, multò minus ſuperior. Et tamen cum Diaboli, iuxta ſententiã Auguſtini, ſemp ſecũ ſuũ circũferant infernũ, cõmorentur aũt in aëre, qui nõ eſt tantũ circa nos, ſed etiã ſupra nos, relinquo Bullingero explicandum, quomodo infernus non ſit etiã ſupra nos. Si autẽ per, ſupra, intelligitur res, quæ ſua eſſentia ſuperat humanum captum, tunc certè infernus eſt ſupra nos. Sicut enim de vero cœlo dictum eſt, quod à ſeculo non audierint neq; auribus perceperint, oculus non viderit,

quæ

quæ Deus præparauit expectantibus se: ita de inferno quoq; sentiendum est, quod à seculo non audierint, neq; auribus perceperint, oculos non viderit, quæ præparata sunt impijs, contemnentibus Deum.

Additur amplius: In cœlis. Si ergo vocabulo cœlorum intelligitur cœlũ illud fictitiũ seu Empyreũ, rectè dicit Bullingerus, infernũ non esse supra nos in cœlis. Neq; enim tales sunt cœli. Si per cœlũ intelligitur cœleste gaudium, & æterna beatitudo, qua Christus & beati fruuntur, rectè iterũ dicitur, infernũ, hoc est inferni dolores, inferni horrores, non esse in cœlo. Si autẽ per cœlũ intelligitur generaliter cœleste regnũ, quod vniuersam Dei dominationẽ in cœlo, in terra, & in inferno complectitur, negari certè non potest, quin hoc modo recte dicatur, infernũ esse in cœlo, hoc est contineri in manu, & potestate DOMINI Dei nostri, cuius regnũ nõ est corporale, sed spirituale, nõ est terrenũ, sed cœleste. Huc pertinet, quod Paulus de Christo dicit: Dedit ei nomẽ super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectat, cœlestiũ, terrestrium & infernorum. Hic vides etiã infernum compræhendi in regno Christi, quod vocatur nõ terrestre, sed cœleste. Huc etiam non incongruenter accommodaui locum Pauli. Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Non ignorabã, In cœlestibus, vulgò exponi, pro aëre. Non etiam ignorabam, satanam vocari aliàs principem, cui potestas sit aeris. Sciebam quoque cœli nomine aliquoties aërem venire. Sed cogitabã, attento, &

to, & erudito lectori adeo notum esse, illam dictionem (in cœlestibus) in eo loco, vbi dicitur, Aduersus spirituales astutias in cœlestibus, nec posse nec debere pro aëre exponi, vt ne admonitione quidem opus haberet. Paulus enim in ea ipsa epistola ad Ephesios quinquies, nisi fallor, vocabulo ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, In cœlestibus vtitur. Ac in tribus quidem locis manifestum est, quòd non significet, in aëre, sed generaliter accipiatur pro arcanis, & absconditis ab oculis hominum in regno cœlesti, vt opponatur regno terreno. Benedixit (inquit) nos omni benedictione spirituali ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, In cœlestibus, (hoc est), benedixit nos, non corporalibus beneficijs, qualia solent in regnis terrenis distribui, nec aëreis, qualia ex aëre sereno, aut pluuia, ad fœcundandas fruges terræ, & ad salubritatem corporum conferuntur: sed benedixit nos beneficijs spiritualibus, & cœlestibus, qualia Christus gubernator cœlestis regni, in quo omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum se in nomine Christi flectit, credentibus in ipsum donare solet. Et iterum, Deus sedere fecit Christum ad dexteram suam ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in cœlestibus. Nec hîc quidem potest, In cœlestibus, exponi pro aëre. Christus enim sedet ad dexteram Dei, non in aëre tantũ, sed in vniuerso cœlesti regno, quod tam ad cœlestia quàm ad terrena, & inferna patet. Ac rursus. Deus cõuiuificauit nos vnà cum Christo (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo sedere fecit ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, In cœlestibus. Non fecit nos consedere cum Christo, in regno aëreo, sed in regno cœlesti,

Cap. 1.

Cap. 2.

sti, quod omnia simul cœlestia, terrestria & inferna complectitur.

Reliqua adhuc sunt duo loca, in eadem Epistola, in quibus Paulus eodem vocabulo vtitur: Vniuersa, inquit, cõdidit per Iesum Christum, vt nota fiat nunc principibus & potestatibus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, In cœlestibus, per ecclesiam. Et iterũ. Aduersus spirituales astutias, τὰ ἐπουράνια, In cœlestibus. Cùm igitur Paulus vsus sit hac dictione (in cœlestibus) in tribus prioribus locis, non pro aëre, sed pro regno cœlesti, complectente cœlestia, terrestria, & inferna, res ipsa monet nos, vt eandem dictionem in duobus posterioribus locis in eodem significato accipiamus. Itaq; rectè & aptè citatur locus Pauli, vt probetur, quòd cœleste regnum (quo quidem modo hîc de eo loquimur) non definiatur interuallis locorum, sed maiestate Dei. Videamus & alios duos locos, quorum alterum ex Hiobe, alterum è libris Regum adduxeram. Hîc ergò vide mihi iterum malignum Bullingeri ingenium, & cor eius felle ac amaritudine plenum. Non ignorat, aut saltem, quia suscepit aduersus me scribendum, non ignorare debet, quòd definiam regnum cœleste, seu regnum Dei patris, maiestate eius, vt qua patet maiestas Dei, ea etiam pateat regnum Dei. Sic enim scribo. Cùm quæritur, vbi nam Christus nũc cum corpore suo commoretur? Non est respondendum, quòd contineatur localiter in loco quodam circumscriptus, Sed respondendum est, quòd sit apud patrem, in domo patris, in throno patris, & ad dexteram patris. Vbi

Cap. 3.

Cap. 6.

Pag. 154.

autem est pater? Vbi domus patris? Vbi thronus patris? Vbi dextera patris? Num hæc sunt certis locis circumscripta? Num in regionem quãdam supra omnes cœlos latissimam quidem illam, sed terminis suis localiter definitam, ita sunt conclusa, vt nec in his cœlis, nec in his terris inueniãtur? Nihil verò minus. Scripta enim Prophetica & Apostolica, nõ intrudunt Deum patrem in aliquam circumscriptam regionem, quamuis amplam, quamuis illustrem, quamuis à terris remotam, sed dicunt: Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades, &c. Hæc & id genus alia commemoraui in priori scripto, vt ostenderem, pomeria regni Dei seu regni cœlestis porrigere se nõ tantùm in hoc externum cœlum, verùm etiam in hanc terram, & in infernum. Nec porrigere se tantùm ad bonos angelos, & sanctos homines, qui sunt in cœlesti gaudio, verùm etiam ad diabolos & homines damnatos, qui sunt in doloribus inferni. Admonui præterea satis apertè, me non ignorare, quòd hæc mea dicta in calumniam rapi queant (Addo enim. Vt Cingliani iterum habeant, quod pro ingenio ipsorum exagitare possint) sperans futurum, vt Bullingerus hac admonitione excitatus, caueret, & abstineret à calumnia. Sed tam virulẽto est ingenio, vt videat delectari, quòd data sit ipsi calũniandi occasio. Nam cùm ego eo loco vtar nomine cœli generaliter pro regno cœlesti, seu pro regno omnipotentiæ Dei, quo vniuersæ creaturæ comprehenduntur, ipse vtitur cœli nomine,

nomine, vel pro gaudio cœleſti, vel pro ſuo Empyreo ac fictitio cœlo: & vociferatur, nec infernum nec diabolum eſſe in cœlo. At enim bone vir, ſcilicet, ſi hoc modo ſermo fuerit de cœlo, dixi & ipſe, & adhuc dico, nec infernum, nec diabolos eſſe in cœlo, ſiue illo Empyreo, quia hoc cœlum eſt fictitium, ſiue in cœleſti gaudio, de quo rectè dictum eſt, quòd ſathan cum angelis ſuis deturbatus ſit è cœlo in imum vſque barathrum, hoc eſt, è cœleſti beatitudine in omnem & perpetuam infœlicitatem. Si autem nomine cœli comprehenduntur omnia ea, ad quæ ſe cœleſte, ſeu ſpirituale & diuinum regnum Dei, quod eſt regnum omnipotentiæ Dei, extendit, negari non poteſt, quin in eo comprehendantur etiam infernus, & diaboli. Et quod mireris, fatetur aduerſarius ipſe ſuis quidem verbis, ſed planè illud ipſum, quod ego mente mea ſentiebam: Deus, inquiens, quia vbiq; eſt, omnes ſingulasq; ſuas creaturas præſto ante ſe habet, ijsq; ad miniſtrandū ipſe vtitur, ſingulis pro ſuo ingenio, &c. Hoc prorſus illud ipſum eſt, quod ego dicebam, cœlū illud ea eſſe conditione, vt in eo nō tantùm ſancti homines, verùm etiam ſathan & angeli eius inueniantur. Et tamen tanta eſt in aduerſario calumniandi, & rixandi libido, vt etiam id, quod probat, reprehendendum ſuſcipiat.

Vide, quæſo, & hîc mihi ſuaues hominis delitias, quibus applaudit ſibi in interpretatione locorū, quæ ex Iobe & libris Regum, de præſentia, & aſsiſtentia ſathanæ inter Sanctos Dei idcirco adduxeram, vt

ostenderem, in cœlesti & omnipotenti regno Dei contineri, non tantùm sanctos angelos & homines, sed etiam sathanam cum suis angelis. Ita sanè, inquit, nihil est necesse, vt quando boni Dei angeli suo in ordine, & in sua conditione, inque loco suo Deo seruiunt, vt & sathan vnà cum bonis angelis, & vt boni angeli, in loco angelorum Deo seruiat. Potest enim inter filios Dei, nimirum, vt minister Dei stare, id est, ministrare, sed suo modo, suo loco, & ratione certa, quæ ipsi conuenit. Hactenus ille. At enim non quæritur in præsentia, quo ordine boni & mali angeli Deo seruiant. Non est ignotum, quòd in regno omnipotentiæ Dei suum quæq; creaturæ habeant ordinem, etsi nec Diaboli, nec mali homines, si suæ voluntati relinquantur, rectum seruant ordinem. Nec quæritur, qua sint conditione. Notum enim est, quòd boni angeli versentur in maximo cœli gaudio, mali autem in maximis inferni cruciatibus, cum illi propitio Dei aspectu fruantur, hi autem formidabili eius aspectu torqueantur. Sed illud quæritur, cùm manifestum sit, quòd Diaboli necesse habeant seruire Deo, num contineantur etiam vnà cum bonis angelis in regno omnipotentiæ Dei? Hîc Scriptura in Iobe disertis verbis dicit: Factum est, cùm quodam die venissent filij Dei, & starent coram DOMINO, venisset quoq; sathan inter eos, & staret in conspectu Dei. Venisset, inquit, sathan inter eos, Inter quos? Inter filios, inquit, Dei. In regno igitur cœlesti omnipotentiæ Dei, vnà sunt & filij Dei, & sathan ipse cum angelis suis.

In

In libris Regum textus clarè dicit: Vidi DOMINVM ſedentem ſuper ſolium ſuum, et OMNEM EXERCITVM COELI, aſsiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris. Quid nunc Bullingere? DOMINVS ſedet ſuper ſolio ſuo, & habet ex vtraq; parte à dextris & à ſiniſtris aſsiſtentem. Quem? exercitum. Cuius? cœli, COELI inquam. Et in hoc COELI, COELI inquam, exercitu, ſtabat à ſiniſtris ſpiritus mendax. Iacta nunc & vociferare, ſi libet, ſatanam non eſſe in cœlo. Poſſet ne clarius teſtimonium in medium produci, quo probaretur, quòd illud cœlum, de quo tunc loquebatur, ea ſit conditione, vt in eo non tantùm ſancti homines, verùm etiam ſatan, & angeli eius inueniantur? Audiamus de hacre etiam Auguſtinum: Quærunt, inquit, ab imperitis hominibus, talia intelligere nequaquam valentibus, quomodo ſatanas cum Deo loqui potuerit, non intuentes, (non enim poſſunt ſuperſtitione, & contentione cæcati) Dominum non loci ſpacium mole corporis occupare, & ſic alibi eſſe, alibi non eſſe, vel certè hîc habere partem aliam, & alibi aliam: ſed maieſtate vbiq; præſto eſſe, non per partes diuiſum, ſed vbiq; perfectum. Hæc ille. Vides igitur, quòd quæ Bullingerus affert contra me, de his ſcripturæ locis, quæ recitaui, non ſolùm ſint putidæ nugæ (ſic enim me docuit Bullingerus loqui) verùm etiam manifeſtæ calumniæ.

Sed audiamus etiam, quibus teſtimonijs conetur probare, infernum eſſe certum locum ſub terris. Initio producit concionem Chriſti, de diuite epulone.

Apud Lucam, inquiens, nominat diues epulo apertiſsimè infernum, Locum (en locum) cruciatus vel tormentorum, &c. Quod Paulus dicit Iudæis in lectione veteris teſtamenti accidiſſe, vt præ velamine cordibus eorum impoſito, non poſsint intendere in finem legis, idem accidit Bullingero in lectione tam veteris quàm noui teſtamenti. Velamen enim cordi eius impoſitum, illud eſt, quod perſuaſum habet, nullam corporalem creaturam, poſſe, vel in hoc vel in altero ſeculo, ſine loco, idq; proprie dicto, (hoc eſt) ſuperficie corporis continentis, conſiſtere. Et ſi dicatur ſine tali loco eſſe, exiſtimat nihil prorſus eſſe: adeoq; id accidit Bullingero in ſenectute, quod Auguſtino in iuuentute ſua. Quicquid, inquit Auguſtinus, priuabam ſpacijs locorum, nihil mihi eſſe videbatur. Hoc axiomate Bullingerus faſcinatus, vbicunq; legerit, quamuis in rebus ſpiritualibus, & futuri ſeculi, nomen loci, exiſtimat intelligendum pro ſuperficie corporis continentis. Ac profectò mirandum eſt, quòd cum nomen loci aliàs in ſacra ſcriptura, ſæpenumero metaphoricè exponendum ſit, Bullingerus hoc vnum ſignificatum, quod eſt ſuperficies corporis continentis, vrgeat. Apud Oſeã DOMINVS ipſe Deus noſter, Vadens, inquit, reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam. Hîc nomen loci non ſignificat ſuperficiem corporis continentis, quippe quòd Deus non ſit localiter in loco: ſed ſignificat abſconſionem præſentis auxilij Dei. Et Paulus: Date, inquit, locum iræ. Ac iterum: Ne detis locũ diabolo.

Et rur-

Et rursus: Non inuenit locum pœnitentiæ. Cæterum cum alias sermo est de illo dicto Christi: In domo patris mei mansiones multæ sunt, Et: Vado ad parandum vobis locum, flagellat, quod dixi, de mutuandis formis loquendi ab humana consuetudine, cum loquimur de rebus spiritalibus. In expositione enim huius dicti, de mansionibus in domo patris, & de parando loco, recitaui vsitatam regulam, videlicet, quod cùm nobis loquendum est de rebus spiritalibus & cœlestibus, mutuanda sint vocabula, à rebus corporalibus & terrenis, vt vel saltem aliquo modo, de rebus à nostro sensu & intellectu in hoc seculo alienis, balbutiamus. Vnde & Christus ipse nobiscum balbutiens, dicit, se parare nobis in futuro seculo locum, &c. Hac regula nihil est certius, & in Ecclesia filij Dei vsitatius. Et extant vbiuis manifesta exempla. In Genesi dicitur de Deo: Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra. Ac dicit ipse quoque Deus: Pœnitet me fecisse homines. Quid? Agit ne pœnitentiam facti sui Deus, qui est non tantùm sapientissimus, sed etiam sapientia ipsa? Nihil minus, sed scriptura mutuatur sermonem ab humana consuetudine, & loquitur de Deo humano more. Et iterũ: Dixit DOMINVS: Clamor Zodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Quid? Est ne Deus absens à Zodomis, & ignorat, quæ ibi fiunt? vt ne-

Fol. 71.

Pag. 107, & 157.

vt neceſſe habeat de cœlo deſcendere, ſicut homo de monte in vallem deſcendit, vt cognoſcat, quid ibi agatur: Abſit, Deus implet cœlum & terram, & omnia nouit. Sed ſpiritus ſanctus balbutit nobiſcum, & mutuatur verba ex humana conſuetudine, vt vel aliquo modo res ſpirituales & cœleſtes explicet. Quid multis opus? Scriptura tribuit Deo caput, oculos, aures, os, manus, pedes, cor, animam, dolorem, triſtitiam, quæ tantum abſunt à Deitatis eſſentia, quantum caro abeſt à ſpiritu. Sed hæc vocabula mutuò accepta ſunt à rebus corporalibus & humanis, vt per ea ad aliquam diuinæ maieſtatis cognitionem quaſi manu ducamur. Cum verba omnia, inquit Auguſtinus, quibus humana colloquia conferuntur, Dei ſempiterna virtus & diuinitas mirabiliter atq; incunctanter excedat, quicquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominibus aſpernabile videatur, ipſa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in ſcripturis ſanctis de Deo dicta exiſtimat, humanæ capacitati aptiora eſſe, quàm diuinæ ſublimitati, ac per hoc etiam ipſa eſſe tranſcendenda, eſt ſanior intellectus, ſicut iſta qualicunq; trãſcenſa ſunt, Hæc ille. Et Cyrillus: ſolet, inquit, ſancta ſcriptura, ea, quæ mentem excedunt, verbis nobis familiaribus ſignificare. Quod de Deo dictum eſt, dicendum etiam eſt de rebus diuinis & ſpiritualibus. Eſaias deſcribens fœlicitatem piorum, & infœlicitatem impiorum, Egredientur, inquit, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nõ extinguetur

extinguetur, & erunt vſq; ad ſacietatem viſionis omni carni. Quid? Iacebunt ne impij in inferno ſicut cadauera eorum, qui interficiuntur in prælijs, & deinde deuorabuntur à vermibus, ſicut eorum exuuiæ, qui conduntur in ſepulchris? Nihil minus, ſed ſpiritualia deſcribuntur verbis mutuò acceptis, à rebus corporalibus in hoc mundo.

Chriſtus ipſe deſcripturus fœlicitatem ſuorũ Apoſtolorum, ponit in cœlo cathedras iudicum, inſtruit menſas, & apparat conuiuium. Ergò ne erunt in cœlo tribunalia, & bacchanalia? Abſit. Cœleſtia deſcribuntur terreſtribus: Propter carnales, inquit Auguſtinus, dico, non oportet opinari, quod dictum eſt: Cœlum thronus Dei eſt, & terra ſcabellum pedum eius, quòd ſic habeat Deus collocata membra in cœlo & in terra, vt nos cùm ſedemus: ſed illa ſedes Dei iudicium ſignificat. Et quoniam in hoc vniuerſo mundi corpore, maximam ſpeciem cœlum habet, & terra minimam, tanq; præſentior ſit excellenti pulchritudini vis diuina, minimam verò ordinet in extremis atq; infimis. Sedere dicitur in cœlo, terramq; calcare. Et aliàs: Si in cœlis tanq; in ſuperioribus mundi partibus, locus Dei eſſe creditur, melioris meriti ſunt aues, quarum vita eſt Deo vicinior.

Auguſtin. de ſerm. Domini in monte, lib. 1.

Serm. Domini in monte lib. 2.

Et Athanaſius. Tametſi eædem dictiones de Deo & hominibus in ſacris Scripturis habeantur, hominum tamen perſpicacium eſt (vt Paulus præcepit lectioni attendere) vt rem cum iudicio diſcernant, & noſtra rerum, quæ ibi ſcribuntur, vocabula accipiant

sine intellectus confusione, ne, quæ Dei sunt, humano more fieri intelligas, neq; in rebus humanis, tanq; de diuinis cogites. Quid multa? Nihil in ecclesia filij Dei decantatius est, quàm quòd scriptura loquatur humano more de rebus diuinis. Nihilominus tamen Bullingerus tantò mentis est furore, vt audeat hanc regulam contemptissimè reijcere. Nunc in postremo (inquiens) suo libro loquitur (Brentius) nescio quid, de verbis mutuò ab hominibus accipiẽdis. Et mox: Nõdum sanè ad inopiam redactus, et verbis ita destitutus exhaustusq; est Dominus noster, vt aliunde, et maximè à miseris, egenisq; hominibus ipsi opus sit verba mutuari. Quid ergò? An non ijsdem planè Bullingeri verbis respondeat Anthropomorphita Orthodoxo. Nondum sanè, inquiens, ad inopiam redactus, et verbis ita destitutus, exhaustusq; est Spiritus sanctus, vt aliunde & maximè à miseris, egenisq; hominib. accipiat mutuò vocabula, capitis, oculorũ, auriũ, oris, manuum, pedũ, animæ, & cordis, et his describat formã Dei? Sic etiam, cùm Christus ad Apostolos dicit: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel, & pius interpres exponit, quòd hæc verba mutuata sint ab hominibus, & describant in cœlo non externa conuiuia, & iudicia, sed spiritualem lætitiam, & maiestatem. Posset Thalmudista & Mahumetista obsistere, & iuxta Bullingeri verba respondere, Quid? Putásne tu Christum tuum, ad tantam loquendi

loquendi inopiam, redactum fuisse, vt necesse habuerit verba ad describendam cœlestem fœlicitatem, ab hominibus miseris, egenisq; mutuari? Imò, quia est ἀόρατος ipse, idcirco vtitur etiam sermone proprijssimo, & docet, esse conuiuia & iudicia in cœlesti vita, & more hominum in his terris. Tenemus sensum simplicem, & diserta verba Domini, quæ neq; fides, neq; alia illustriora Scripturæ loca, neque absurditas vlla, iubet nos expedire, per figuratam interpretationem. Hactenus conuiuator carnalis in cœlesti regno. Dicet Bullingerus. De esu & potu, & mensis, & tribunalibus, sunt alia illustriora scripturæ loca, & accedit absurditas, quæ cogunt hæc metaphoricè accipere. De mansionibus aũt & locis, nihil tale est. Quid? an nõ illustria sunt testimonia scripturæ, quæ docent hunc mundũ cum temporibus et locis suis transiturũ, et homines fore ἰσαγγέλους, atq; corpora eorũ spiritualia, q̃ non amplius egeant corporalibus locis & mansionibus? His testimonijs manifestè comprobatur, quòd tam absurdum sit, hominibus beatis in cœlesti vita tribuere corporalia loca, & corporales mansiones, in quibus corporaliter cõmorentur, et è quibus in corporali palatio cœli egrediantur, & de loco in locũ deãbulent. q̃ absurdũ est, instruere ipsis mensam omni ferculorũ genere refertã: et tribunalia, in quibus corporaliter sedeant, & iudicẽt. Sed relinquam? hominẽ, qui audet suo ingenio regulas q̃uis certissimas, & notissimas, insana rabie rescere: Nos aũt reuertamur ad cõcionẽ Christi de diuite epulone. Habet enim duas partes. Prior cõtinet ea, q̃ in hoc seculo inter diuitẽ et epulonẽ gesta

sunt. Hæc, quia habentur pro historicis, ideirco verba, quibus describuntur, sunt etiam historicè, & pro ratione huius seculi intelligenda. Posterior continet ea, quæ narrantur gesta post vtriusque mortem, in altero spirituali & cœlesti seculo, videlicet, de sublatione oculorum diuitis in tartaro, de accubitu Lazari in sinu Abrahæ, de colloquio Abrahæ cum diuite, de intinctione digiti in aquam, de refrigeratione linguæ, & de reliquis, quæ in ea parte continentur. Hæc, si quis contendat, corporali, humano, & mundano modo facta esse, ac non potius spirituali modo, pro ratione spiritualis & cœlestis seculi, hunc relegabimus aut inter pueros, si simplici opinione ita senserit, aut inter insanos, si seriò ita facta esse rixetur. Cùm enim narratur res gesta in spirituali seculo, & inter animas mortuorum, qui nondum cum corporibus à mortuis resurrexerãt, res ipsa testificatur, verba narrationis mutuata esse à rebus huius mundi corporalibus, & translata ad spirituales. Nec fieri potest, vt cùm fit sermo de ingẽti hiatu, & de loco cruciatus, intelligatur de corporali hiatu et loco, qui sit superficies corporis continentis: quippe quòd in altero futuro & spirituali seculo, aut sint meri spiritus, aut corpora spiritualia, quæ nullis prorsum locis, hoc est, superficiebus corporũ continentiũ indigeãt. Vt enim talia loca vnà cũ hoc externo mundo enata sunt, ita etiã vnà cũ ipso interibunt: & cessante motu huius cœli, cessabunt etiam omnes motus ac mutationes locales. Quare, etiamsi Bullingerus inuenit in concione Christi de

diuite

diuite epulone nomen, Loci, tamen nondum inuenit infernum esse locum, qui sit superficies corporis continentis: nec inuenit in eo esse corporales seu sessiones seu stationes, seu accubitus, seu deambulationes, quales fictitio suo cœlo tribuit.

Sed inspiciamus etiam illud, quod de seditiosis, quos terra viuos deuorauit, & qui viui descenderunt in infernum, in Numeris capite 16. scriptum est. Hic verò siste mihi parumper viator gradum, & videbis mirandum spectaculum. Papę, quanta maiestate conscendit Bullingerus currum, & agit triumphum, qualem nulla viderunt secula. Nec id immerito. Designauit enim stratagema, in omni posteritate prædicandum. Quale illud? Tutatus est magna animi fortitudine locum inferni, & repulit egregia virtute impugnatorẽ Brentium, à regia Plutonis. Quantam ergo putas laudem, quantas gratias pro nauata insigni illa opera ab vniuerso Cacodæmonum cœtu reportat? Manifestè (inquit) Brentius deprehensus est in detorsionis scripturarum crimine, cui implicatur regulis illis suis, glosisq; scripturas explicandi, ab ipsomet excogitatis. Vident porrò pij, quid posthac, postquam in tàm turpi detorsionis scripturarum (διὸ καὶ τρὶς πεπλὴ) crimine deprehensus, tribuant in hac causa aduersario, qui prolixè quidem iactitat, se habere testimonia Propheticarum & Apostolicarum scripturarum, interim verò aperto se prodit indicio, quàm licenter ijs vtatur, Habes præconium insignis illius stratagematis, quod seruator infernalis regiæ in re-

pellendo hoſte deſignauit. Sed age, faueamus ei interim hanc laudem, donec Brentius collectis iterum viribus, reſpiret. Ac primùm, Heros noſter iterũ facit mentionem earum regularum, quas de interpretanda ſcriptura recitaui: & dicit, eas non ſolùm excogitatas à me, verùm etiam me in crimen detorſionis ſcripturarum impellere. Manifeſtè (inquit) Brentius deprehenſus eſt in detorſionis ſcripturarum crimine, cui implicatur regulis illis ſuis, gloſsisq; ſcripturas explicãdi, ab ipſomet excogitatis, etc. Ego verò luculenter oſtendi ſuprà, eas regulas, nec à me eſſe confictas, nec occaſionem dare detorquendi ſcripturam: ſed exemplis ipſis ſcripturæ confirmatas, à patribus non minorum tantùm, verùm etiam maiorum gentium Eccleſiæ, traditas, & ad ſcripturam rectè explicandam neceſſarias eſſe. Quid igitur dicam? Quid, niſi vt hominem, ſua ipſius moneta abſolutum dimittam. Vident porrò pij, quid poſthac, poſtquam Bullingerus in tam luculenti & turpis mendacij crimine deprehenſus eſt, tribuant ei in hac cauſa, qui prolixè quidem iactitat, ſe ſcribere fundamentum firmum, cui quiuis fidelis tutò inniti poſsit: Interim verò non veretur, tam manifeſta mendacia ſcribere. Denide, ſemper palàm teſtatus ſum, eſſe infernum, ſed non eſſe talem, qualem vel Monachi finxerunt, vel vos ſomniatis, qui non poteſtis mente veſtra in tantum aſſurgere, vt intelligatis corpora retinere veram corporum ſubſtantiam, etiamſi non fuerint in loco localiter. In priori libello ſic ſcribo: Scimus quidem, autoritate

Pag. 160.

ritate ſcripturæ, eſſe infernum, ſcimus tam diabolos, quàm impios & impœnitentes homines perpetuò in eo torquendos: ſed vbi ſcriptura definit hunc infernum certo loco? Vbi collocat eum localiter & corporaliter vel intra, vel infra hanc terram? Hæc veſtra ſunt, Bullingere, commenta, non ſcripturæ documenta. Hactenus ibi. Et quia obijciebatur, quod extat in Numeris, cap. 16. de ſupplicio ſeditioſorum, ideirco ſic diluo. Nam quòd ſcriptura, inquiens, affirmat, rebelles viuos in infernum deſcendiſſe: & pſalmus imprecatur, vt impij deſcendant in infernum viuentes: idẽ etiã pius Patriarcha Iacob, de pio ſuo filio Ioſeph, dicit: Deſcendam ad filiũ meum lugens in infernum. His autem verbis non intelligendum eſt eum infernum, in quem damnati perpetuò cruciandi conijciuntur, eſſe certum et corporalem, vel in medio terræ, vel infra terram locum: ſed illos quidem repentina morte interijſſe. (Hoc enim eſt viuum in infernum deſcendere) Iacobum autem in luctu ex hac vita exceſſurum, ſicut putabat etiam filium exceſsiſſe. Hæc illa ſunt, optime lector, propter quæ Bullingerus triumphat, & vociferatur, me manifeſtè deprehendi in crimine detorſionis ſcripturæ, ideoq; hortatur te, vt videas, quid mihi poſthac in hac cauſa ſit tribuendũ. Expendamus igitur illa. Equidem non nego hiſtoriã, quæ in Numeris, cap. 16. de ſupplicio ſeditioſorũ conſcripta eſt. Fateor eam eſſe veriſsimam, & inſigne exemplum, quo alij rebelles & ſeditioſi ad pœnitentiam excitentur.

Fateor

Fateor terram, iuxta verba ſcripturæ, diruptam eſſe ſub pedibus ſeditioſorum, & deuoraſſe aperto ore illos, cum tabernaculis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. Fateor eos deſcendiſſe viuos in infernum, aperta humo, & periſſe de medio multitudinis. Non eſt igitur controuerſia de veritate hiſtoriæ & verborũ, quibus ea per ſpiritum ſanctum deſcripta eſt: ſed controuerſia eſt de verborum intelligentia, quam cum ex collatione aliorum locorum ſcripturæ expono, falsò calumniatur aduerſarius, me ſcripturam detorquere. Non enim detorqueo, ſed iuxta analogiã fidei interpretor. Quid enim? An quia ſcriptura dicit, terram diruptam eſſe ſub pedibus ſeditioſorum, & aperuiſſe os ſuum, ac deuoraſſe ipſos, deſcendiſſeq; eos viuos in infernum, idcirco falſum eſt, quod repentina morte interierint? imò quia illa ſunt veriſsima, idcirco hoc eſt certiſsimum. Voluit enim ſcriptura illis verbis palàm ſignificare, eos, nullo præcedente morbo, nulla corporis ægritudine, ſed integra valetudine, integris viribus, de repentè & ex improuiſò à terra deuoratos, & periſſe: vnde & ſcriptura ipſa, poſtquàm illa omnia recitaſſet, quaſi exponens, addit: Perierunt de medio multitudinis. Vt haud obſcurè ſignificet, quòd hoc loco, viuum deſcendere in infernum, ſit ex improuiſo à terra deuorari, & interire. Nam quòd non voluerit his verbis ſignificare, infernum eſſe talem ſtructuram, qualem ij, qui ſentiunt, ne diuina quidem omnipotentia fieri poſſe, vt corpus ſalua ſua ſubſtantia non ſit in loco, nobis ob oculos depingunt, videlicet locum corporalem

poralem intra vel infra terram, qui ſit ſuperficies corporis continentis, & in quem impij corporali modo deſcendunt, vt ibi corporali modo cruciẽtur, euidentiſsimis probatur argumentis. Initio Iacob Patriarcha, cùm luget filium ſuum Ioſeph (quod exemplum inpriori ſcripto recitabam) iiſdem penè verbis (quod quidẽ de deſcenſu ad inferos attinet) vtitur: Deſcendam, inquiens, ad filium meum lugens in infernum. Hic certè non poteſt nomine inferni intelligi locus corporalis intra, vel infra terram, ad quem Iacob & Ioſeph corporaliter deſcenderent, et ibi cruciarentur. Fuerunt enim ambo homines pij. & certò ſperauerũt æternam ſalutem, quæ in benedicto ſemine Abrahæ, Iſaac, et Iacob promiſſa erat. Quare nequaquã ſentiendum eſt, quòd Iacob crediderit, ſe & pium filiũ, in talem infernũ, qualis antea deſcriptus eſt, deſcenſuros, & ibi perpetuò vnà cum diabolis cruciandos. Deinde cùm ſeditioſi in Numeris repẽtina morte, præter omnium expectationem deuorati à terra, perirent, nondum erat mortuorum reſurrectio, poſt quam demum impiorum corpora ablegabuntur ad infernum. Nam interea temporis, cùm moriuntur, animæ quidem eorum excipiuntur in manum Dei, ad futuram eamq; perpetuam condemnationem, ſicut & animæ piorum excipiuntur in manum Dei ad futuram, reuelandam in ipſis fœlicitatem: corpora autem eorum condita in terris expectant reſurrectionem. Non loquor iam de iis, qui ſingulari quadam prærogatiua recepti ſunt vnà cum corporibus ad cœleſtem vitam, quales

sunt, Enoch, Moses, Elias, & ij, qui vnà cum Christo in die Paschæ resurrexerunt. Sed de generali ordinatione, qua corpora tam impiorũ, quàm piorum: horũ quidem, ad æternam fœlicitatẽ, illorum aũt ad æternã condemnationem, tùm primum, cùm generalis fuerit resurrectio, excitabuntur. Quare, cum seditiosi in Numeris adhuc longissimè abfuerint à mortuorũ resurrectione, fieri non potest, vt eo tempore, quo deuorati sunt à terra, descenderint cum corporibus suis ad infernũ, hoc est, ad illud receptaculum, in quod impij in extremo demũ die conijcientur: multò minus peruenerint ad talẽ inferni locũ, qualem pictores solẽt pueris proponere, et Bullingerus somniare videt. Quid, quod Augustinus ipse, quẽ nõ dubito, quin nõsemel, sed iterum atq; iterũ historiam seditiosorũ in Numeris legerit, adeoq; in recenti semper memoria habuerit, etsi libenter indulgere solet cogitationibus suis de corporalibus in altero seculo locis: tamen, si quæritur de igni infernali, qualis, vel vbi sit, respondet alicubi: Cuiusmodi, inquiens, ignis æternus sit, & in qua mundi vel rerũ parte futurus sit, hominẽ scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit. Quare, si Bullingerus, vt tutor & propugnator corporalis illius inferni, peculiarẽ habet Apocalypsim, infernũ esse infra, aut intra terram, ad quem impij, etiã cum corporibus suis ante nouissimũ huiꝰ seculi diẽ, locali & physico motu descendunt, nos quidem diuinis & cœlestibus reuelationibus resistere non debemus: sed necessariũ erit, vt hanc suam reuelationem certis, & firmis argumentis, nobis præsertim, qui nõ facile habemus fidẽ spiri-

ſpirituũ apparationibus, cõfirmet. Quid amplius? Bullingerus collocat Empyreũ (hoc eſt) fictitiũ ſuum cœlũ extra hunc mundũ corruptibilẽ. Res igit ipſa exigit, vt & infernũ ſuum, non intra vel infra terrã, imò ne quidẽ intra hũc vniuerſum mundũ, ſed prorſus extra eum collocet, ne fortè vna cũ futura conflagratione eius, cõflagret & infernus. Nunc igit iudiciu ſit penes piũ lectorẽ, num ego vel ſcripturas detorſerim, vel aliquid tale in hoc loco cõmiſerim, ꝓpter quod oẽm in hac cauſa fidẽ iure amittã. Sed reuertemur vel tandẽ ad expendẽda verba Bullingeri. Infernus, inquit, locus eſt, nõ ſupra nos in cœlis, neq; penes nos in terra. Ac de priori quidẽ parte huius propoſitionis, hactenus pluribus. Nũc etiã de poſteriore illa parte, qua dicitur, infernũ non eſſe penes nos in terra. Ac ſiquidem Bullingerus loquitur de ſuo inferno, quem fingit eſſe localẽ, fateor eũ nõ eſſe penes nos in terris, quia nuſq; eſt. Si aũt ſermo eſt de vero, & ſpirituali, ac æterno inferno: arbitror equidẽ Cinglianos nõ negare, quin diaboli ſint penes nos in terra. Et ſi tam impudentes fuerint, vt negent, cõuincent tamẽ teſtimonijs ſcripturę, & rei experientia. Paulus ait: Ambulaſtis aliquando iuxta principem, cui poteſtas eſt aëris, & ſpiritus nũc agentis in filijs contumacibus. Si diaboli agunt in impijs hominibus, quis negaret eos eſſe penes nos in terris? In ſcriptis Apoſtolicis, quot homines commemorantur, qui à dæmonijs obſeſsi, per Chriſtum & Apoſtolos curantur. Apud Marcum & Lucam dęmon ipſe, qui hominem miſerrimè affligebat, interrogatus, profitetur nomen ſuum Legio, quia (inquit

Euangeliſta) intrauerunt in hominem dæmonia multa. Quin & angelus ſathanæ colaphiſat Paulum. Et Petrus dicit: Aduerſarius noſter diabolus obambulat ſicut leo rugiens, quærens, quem deuoret. Nemo igitur negare poteſt, quin diaboli ſint penes homines in his terris. Manifeſtum autem eſt, quòd diaboli, vbicunq; fuerint, circumferant ſecum, vt Auguſtinus dicit, infernum. Dicit quidem Petrus, quòd diaboli ſint præcipitati in tartarum, & vincti catenis noctis, expectantes iudicium Dei. Non eſt autem ſentiendum, quòd ſint in talem carcerem concluſi, qualem pictores adumbrãt: ſed quòd vbicũq; fuerint, ſiue in exercitu cœli, de quo in hiſtoria Ahab, ſiue inter homines in terris, ſiue in abyſſo, ſemper careant cœleſti luce ac fœlicitate, & expectent cum ſummo tremore & horrore æternum ſupplicium. Et quanquam ſunt natura ſua Spiritus potẽtiſſimi, ac nihil aliud meditentur, quàm blaſphemias aduerſus Deum, & internitionem hominum, tamen ita detinentur & coërcentur diuinitus, vt ne capillum quidem capitis noſtri abſq; voluntate Dei commouere & perturbare queant. Vnde dicuntur in abyſſum mitti, cum cohibentur ne noceant. Soluí autem dicuntur, cùm permittitur eis vt noceant. Quid? quod Dauid exclamat: Dolores inferni circundederunt me. Et Ionas: De ventre, inquit, inferi clamaui. Et tamen ille adhuc erat in his terris, Ionas autem in mari. Falſum igitur eſt, quod Bullingerus dicit: Infernum non eſſe penes nos in terris: ſed vbicunque fuerint, vel diaboli

diaboli, vel homines damnati post hanc vitam, vel etiam tentati de æterna sui damnatione in hac vita, ibi infernus sit necesse est.

Addit & illud, impios descendere, non ascendere in infernum. Sed quia infernus localis, est fictitius, idcirco impij eò nec descendunt, nec ascendunt. Si autem loquendum est de vero, spirituali, & æterno impiorum inferno, impij nunquam ascendunt, sed semper ac perpetuò descendunt. Hic enim infernus non definitur corporali loco, ad quem corporali incessu sit accedēdum: sed definitur horribili odio Dei, horrore, tristitia, desperatione, blasphemijs, execrationibus, ac perpetuis angoribus, & inęstimabilibus supplicijs. Similiter etiam descendere non definitur corporali & physica loci mutatione, sed spirituali deiectione, oppressione & conculcatione. Itaq; sicut diabolus, etiamsi versatur in exercitu cœli, tamen semper descendit, & est in inferno, quia semper proiectus est in extremam infœlicitatem: ita & impius, quocunq; loco, siue excelso, siue infimo constiterit, semper descendit ad infernum, & perpetuò in eo hæret.

Deniq;, illud quoq; addit. Neq; cœlum, inquit, quæremus in terris, neq; infernum in cœlis. Verba hæc per se non sunt impia, sed flexiloqua. Si enim sermo est de cœlo, & inferno Cingliano, nusquam nec in cœlis, nec in terris quærenda sunt, quia nusquam sunt. Et si sermo fuerit de firmamento cœli, & de infima parte terræ, in centro eius, tunc nec cœlum est in terra, nec infernus, hoc est, infima pars terræ est in

cœlo. Si autem loquendū eſt de vero cœlo beatorum, certè quærendū eſt, vbicunq; Deus fuerit pater, hoc eſt, exhibeat ſe propitiū, clementē, miſericordem, fœlicem & beatum. Quid enim cœleſtium bonorū deeſt, vbi Deus pater effundit theſaurum ſuæ clementiæ, gratiæ, & fœlicitatis? Et quia gratia Dei effundit ſe largiter, vt verbis Bullingeri vtar, per vniuerſum orbē terrarū, idcirco fatemur etiam cœlum, non illud Empyreum fictitium, ſed cœleſtem fœlicitatem expandi, eſſeq; per vniuerſum terrarum orbem, vbicunq; fuerint pij, & credentes in Chriſtum. Et vt amplius vtar verbis Bullingeri, cum Dominus ſingulariter prouiſerit clementem ſe, propitiumq; ſupplicibus in templo Hieroſolomitano futurū, collocabimus profectò etiā in hoc templo cœlum, ſedem beatorum, non illam corporalem, Empyream, localem, hoc eſt, fictitiam, ſed veram, & ſpiritualem. An cum Deus ipſe non ſit veritus templū illud vocare, ſuam ſedem, & habitaculum, nos vereamur dicere ſedem beatorum? Certè beati nō poſſunt eſſe beatiores, quàm ſi ſunt cum Deo clemente & propitio. An cum Chriſtus filius Dei in eo templo concionaretur, & haberet ibi Apoſtolos auditores, nō fuerit ibi ſedes beatorum? Nec metuendum eſt, vt cum Babylonij & Romani inflammarent & exurerent hoc templum, vnà etiam inflammata & exuſta ſit ſedes Dei, & beatorum. Vbicunq; enim Deus & Beati fuerint, ſemper ſecum ſuam ſedem circumferunt, etiamſi hi in medijs fuerint flammis. Cum tranſieris, inquit, per aquas, tecum ero, & flumina non operient

operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Et in Psalmo: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam TV MECVM es. Habes certissimam sedem beatorum, quæ nec aquis obrui, nec flammis exuri potest. Et quid? Num in monte Galilææ, in quo Christus transfiguratus est, & vnà cum ipso apparuerunt Moses & Elias, non fuit cœlum præsentissimum, & sedes beatorum certissima? Quid ergo exclamat Petrus: DOMINE bonum est hîc nos esse: excitemus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum? Hæc verò edissero, non Bullingero & gregalibus eius, qui fascinati carnalissimis imaginationibus de corporalibus sedibus, & mansionibus in corporali cœlo, non possunt illa capere, donec velamen à cordibus eorum amotum fuerit: sed mihi & verè Ecclesiæ filij Dei, vt ad nostri consolationem, sciamus nostrum πολίτευμα esse in cœlis, etiamsi adhuc versemur in his terris, & in varijs afflictionibus. Hîc mihi venit in mentem eius sententiæ, quam quondam Lutherus, fœlicis memoriæ, aduersus Cinglium scripsit. Quod Cinglius argumentatur (inquiens) si iuxta meam doctrinam corpus Christi esset vbiq; , videlicet vbicunque est Deus, tunc corpus Christi esset alterum infinitum, sicut & Deus ipse est, sua ipse industria, facilè posset, nisi esset ira inflammatus, intelligere, hanc consequentiam nihil valere. Neq; enim mundus ipse infinitus est, & immensus. Quomodo ergo sequeretur,

quòd

quòd corpus Christi esset infinitum, si esset vbiq; Præterea, cæcatus spiritus existimat è nostris verbis sequi, corpus Christi esse vbiq; iuxta crassum & comprehensibilem modum: cum sciamus varios esse modos, quibus possit aliquid in locis conseruari, quemadmodum suprà probatum est. An non angelus potest simul esse in cœlo & in terra? Sicut Christus ait, Matt.18. Angeli eorum in cœlis semper vidēt faciem patris mei, qui est in cœlis. Si angeli nobis seruiunt, certè nobiscum sunt in terra. Et tamen semper vident faciem patris in cœlis, nec sunt res infinita & immensa. Crassus spiritus nōdum nouit, quid sit, Esse in cœlo: & tamen architectatur ex hoc, nescio quas consequentias. Nam cum dixissem quòd Christus fuerit in cœlo, cum adhuc in terra ambularet, iuxta illud Ioā.3. Filius hominis qui est in cœlo, &c. Bone Deus, quàm ridiculas consequentias ioculatur. Quomodo potuit, inquiens, Christus tunc esse in cœlo? An editur & bibitur in cœlo? An afflictio & mors sunt in cœlo? Dormitur ne & stertitur in cœlo? Vides, Luthere, ad quam insaniam peruenias. O detestandum hominem. Quid ergo tibi de huius hominis victoria videtur? Expugnauit Constantinopolim, & deuorauit Turcam. Hîc iam saccus eius iocularis, repletus meris Alleosibus, & Ithopœis exultat ac tripudiat. Sed facesse hinc lepide diabole. Dicat mihi pius homo: an non maius & excellentius sit, quòd humanitas sit in Deo, imò sit cum Deo vna persona, quàm quòd sit in cœlo? An non Deus sit altior & excellentior,

quàm

quàm cœlum? Humanitas autē Christi, fuit iam inde ab vtero matris sublimius & profundius in Deo, & coram Deo, quàm vllus angelus. Hinc certè sequitur, quòd etiam sublimius fuerit in cœlo, quàm quispiam angelorum. Quod enim est in Deo & coram Deo, hoc etiam est in cœlo. Sicut & angeli sunt in cœlo, etiamsi fuerint in terra, quemadmodū ex Matt. 18. dictum est, nisi forte Deus ipse nondum sit in cœlo. Possem igitur & ego exemplo Cinglianæ industriæ consequentias fingere & ioculari. Editur nè, & bibitur in deitate? Sunt nè afflictio & mors in deitate? Vide ergo mihi ad quam insaniam peruenias, Ioannes Euangelista, quòd suscipias nos docendos, Christum esse Deum, & esse in deitate. Nam cum in Deo nulla sit afflictio, nulla mors, nullus cibus, nullus potus, non potest humanitas esse cum Deo: multò minus potest cum Deo esse vna persona. Huc ibam, dicit satan, cum iocularibus meis argumentis. Sed tu, odiose Luthere, discerpis mihi hunc ioculārē saccum. Si ergo Christus, etiāsi fuerit in deitate, & cum Deo vna persona, potuit in terra pati, simul & mori, cur non posset etiam in terra pati, etiamsi tum quoq; fuerit in cœlo. Si cœlum impediret hanc passionem & mortem, multò magis impediret eam deitas. Quid, si dicerem, quòd non solùm Christus fuerit in cœlo, cum ambularet in terra, sed etiam Apostoli & nos omnes, (si modo in Christum credimus) simus in cœlo, cum adhuc sumus in hac terra mortales, quantus obsecro, tumultus excitaretur in ioculari sacco Cinglij? Vociferaretur

feraretur enim & inferret. Quid? peccatur nè etiam in cœlo? Erratur nè in cœlo? Tentat nè nos diabolus in cœlo? Persequitur nè nos mundus in cœlo? Inflammant nè nos caro & sanguis ad peccandum, in cœlo? Et id genus alia. Peccamus enim & erramus sine intermissione, sicut docet nos oratio dominica. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, ac semper tentamur à diabolo, mundo, & carne. Hac certè ratione posses etiam diabolum, mundum, carnem & sanguinem in cœlo collocare. An non vides tandem Luthere, quanto sis stupore correptus? Detestande, nondum agnoscis nostrum spiritum, non esse iocularem? Hoc tibi alta mente reponendum est. Quid ergò faciam? Seduxit me Sanctus Paulus, cum ait, Eph. 1. Deus benedixit nos omni spirituali benedictione in cœlestibus. Et iterum cap. 2. Conuificauit nos vnà cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus. Et Coloss. 3. Vita vestra abscõdita est cum Christo in Deo. Hoc in cœlo sit, necesse est. Hactenus Lutherus. Hîc, quia facimus mentionem facci ioculatis, vociferabitur Bullingerus de Luthero & me, scurræ. Sed sciat Bullingerus, nos malle in domo Dei abiectissimos esse, quàm in tabernaculis Cinglianorum, in curru triumphali collocari.

Deinde, sicut dictum est, de cœlo, quòd cœlum beatorum sit, vbicunq; fuerit gratia Dei, ita etiam dicimus ibi esse infernum damnatorum, vbi est ira Dei. Et gratias agimus Bullingero, quòd & ipse nos suo

scripto

ſcripto iuuet : Recitat enim ex Paulo, quòd ira Dei de cœlo, reueletur ſuper omnem iniuſtitiam & impietatem hominum, per vniuerſum terrarum orbem, & infert, quòd ſi infernus damnatorum ibi eſſet, vbi eſt ira Dei, ſequeretur infernum eſſe per vniuerſum orbem terrarum. Rectè, quid ni? An enim non fuit ibi infernus in terra, vbi erat Cain, vbi erat Ahitophel, vbi Iudas Iſcarioth? Cain igni inferni, ſic ardebat, vt neſciret, qua conſiteret. Hi inferni ardore, ſic inflammati erant, vt laqueis gulam ſibi frangerent. Quid ſi dicerem, in vno, eodemq; homine aliquoties ſimul eſſe & cœlum & infernum, num aliquid abſurdi dicerem? An, cùm in ſanctis caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, non ſunt ſimul cœlum & infernus? Negari quidem non poteſt, quin flammæ inferni, non poſſint vſq; ad ſummum in hac vita ita ardere, vt maneat homo ſuperſtes : excitari autem poteſt guſtus eius, qui eſt in impijs initium perpetui cruciatus. Fateor hæc videri multis abſurdiſsima, ſed ijs, qui faſcinati carnalibus ſomnijs de corporali cœlo & inferno, non poſſunt, niſi loca corporalia cogitare. Falſum autem eſt, quòd Bullingerus dicit, ea quæ nullis interſe locorum interuallis dirimuntur, eſſe, & manere indiſtincta, mixta & confuſa, eſſeq; indigeſtum chaos, & Babylonicam confuſionem. Nam & Deus pater, Filius, et ſpiritus ſanctus, nullis vnquam locorū interuallis dirimuntur, & tamen nec ſunt mixti nec confuſi. Nec Angeli dirimuntur locorum interuallis,

quippe qui nullis locis indigeant,& tamẽ ſunt ordinatiſsimi. Corpus & anima, quamdiu viuit homo, nullis locorum interuallis dirimuntur, & tamen nec ſunt cõmixta, nec confuſa, ſed admirabili ordinatione vnita. Deus & homo in Chriſto, nec ſunt mixti, nec cõfuſi, & tamen nullis vnquam locorũ interuallis, etiã inuitis omnibus Cingliani dogmatis profeſſoribus dirimuntur. Quid plura? Bullingerus cæcatus eſt ſomnijs de corporalibus locis cœli beatorũ, & inferni damnatorũ. Quare nihil ſani de ipſo in hac cauſa expectandũ erit, donec veternũ edormiſcat, & è ſomno excitetur.

Sed ſatis diu immorati ſumus in inferno: euadamus vel tandẽ. Expone igitur nobis breuiter, quid, & vbi ſit infernus? Quod de cœlo beatorum dictum eſt, hoc idem de inferno damnatorum dicamus. Magis poſſumus dicere, quid non ſit, quàm quid ſit. Non enim eſt corporalis locus, non eſt corporalis ignis, qualia quidem ſunt noſtra loca & ignes. Nec eſt vel infra, vel intra terram, corporali & locali modo. Ac balbutire quidem licet, quòd ſit maximus horror, & ſummum, ac extremum tormentum, & inexplicabilis cruciatus, ac ibi ſit, vbi eſt ſeueritas, & ira Dei. Sunt & qui in hac vita guſtum quendam doloris inferni percepe-
runt: Impij quidem, vt Cain, Eſau, Saul, Ahitophel, Iudas, quibus etiam hic dolor initium fuit æterni cruciatus: pij autem, vt Iob, Dauid, Ezechias, Ionas, quibus hic dolor fuit tentatio, è qua per clementiam Dei propter benedictionem ſeminis Abrahę liberati, ad cœleſtia gaudia euaſerunt. Et tamen ſi dicendũ eſt,

quod

quod res eſt, quam ſententiam Eſaias & Paulus maximorum arcanorum conſcij, de eo, quod Deus præparauit diligentibus ipſum, dixerunt, ea etiam ſuo modo transferenda eſt ad contemptores Dei, & impœnitentes. A ſeculo non audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit, quæ præparata ſunt odio habentibus Deum. Nos vero, qui beneficia Dei, agnoſcimus DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, bene cõfidamus, certiſsima, indubitataq; ſpe cõcepta, quòd qui dixit: Ero mors tua, ò mors, morſus tuus inferne, qui & deſcendit ad inferos, vt nos ex inferis liberaret, clementer nos ſit in omnibus malis conſeruaturus, vt vnà cum ipſo æterna beatitudine apud Deum patrem cœleſtem fruamur.

Poſtremo, etſi diutius, quàm inſtitueram, retrahor ab explicanda dextera Dei: tamen neceſſarium mihi viſum eſt, vt priuſquam perrexero, depellam etiam illam calumniam, quam aduerſarius de inſigni illo Pauli loco: Deus erit omnia in omnib⁹, ſtruit: ſcripſi enim in priori libello. Quid ergò, inquiens, in nouo illo cœlo, & noua terra fiet? Quæ erit rerum conditio? Magis quidem dicere poſſumus, quæ non ſit, quàm quæ ſit. Attamen docuit nos de ea re Paulus, vel ſaltem pueriliter balbutire: Deus, inquiens, erit omnia in omnibus. Deus ergò erit noſtrum cœlum, noſtra terra, noſter locus, noſter cibus, noſter potus, noſtra vita, noſtra iuſtitia, noſtra fortitudo, noſtra ſapientia, noſtra temperãtia, noſtra fœlicitas. Quid plura? Deus erit omnia in omnibus, idq; longè excellentius & di-

uinius, q̃ vlla humana ratio cogitare, & vllus humanus ſermo explicare poteſt. Hæc prior libellus. Quid autẽ Bullingerus? Virulenta excetra, etſi ſententiam, qua hoc Pauli dictum explico, non poteſt damnare, ſed explicet quidem aliter, non autem dicat aliud: Deus futurus eſt, inquiens, omnium Sanctorum in cœlo, vel in æterna beatitudine ſacietas abundantiſsima, adeò, vt poſt ipſum nihil amplius ſint deſideraturi, quemadmodum et Dauid dixit: Notam mihi facies ſemitam vitæ, ſacietas gaudiorum in conſpectu tuo eſt, & iucunditas in dextera tua in perpetuum, &c. Dicit Deum futurum omnium Sanctorum in cœlo ſacietatem abundantiſsimam. An non hoc ipſum eſt, quod ego ſcripſi? non poteſt tamen committere, quin ad ſuum calumniãdi ingenium redeat. Sic enim ſcribit, perinde ac ſi tollam omnem rerum vel creaturarum differentiam, et ita inter ſe commiſceam, vt in Deum ipſum redigantur. Hæc eſt manifeſta calumnia. Poſtq̃ enim omninò finxit, cœlum beatorum futurum corporale ac locale, & in eo fore ſeſsiones, ſtationes, & deambulationes corporales, & locales, ſomniat prorſus nihil creaturarum reliquum eſſe, ſi tollantur loca & ſpacia corporalia. Sed bene habet. Etiamſi quis diceret, hoc cœlum, & hanc terram omninò è medio, vnà cum ſuis locis, ſpacijs, & temporibus tollenda, & relinqueret ſolum Deum patrem, filium, & Spiritum ſanctum, ac angelos & homines ſuperſtites, non tamen argui poſſet, quòd nihil eſſet amplius in rerũ natura. Quid, obſecro, fuit, priuſquam hic mundus conderetur?

deretur? An existente solo Deo patre filio & Spiritu sancto, nõ fuit vera beatitudo? An quia tum non potuit demonstrari, hîc, illic, isthic, alibi, nihil fuit? Hoc certè humanæ rationis figmentum proturbabit è sua æternitate Deum ipsum. Et hoc est, quod satan his impijs somnijs meditatur. Quòd si summa fuit tum beatitudo, cùm solus esset Deus pater, filius & Spiritus sanctus, quantò magis reliqua erit, summa beatitudo, postq̃ creati sunt angeli immortales, & filius Dei factus est homo, ac effecit, vt omnes credentes in ipsum, essent immortales, & perpetuò beati, etiamsi hoc cœlum, & hæc terra, aut omninò abolerentur, aut ita renouarentur, vt in ipsis nec corporalis locus, nec corporalis motus, nec corporales sessiones, aut stationes, & deãbulationes, essent. Quare falsò dicit, quòd sublatis locis et motibus corporalibus, tollat rerũ differẽtia.

Deinde Paulus non dicit simpliciter: Deus erit OMNIA, sed addit, in OMNIBVS. Nec ego, Paulum exponens, dixi simpliciter: Deus erit cœlum, locus, cibus, potus, & reliqua: Sed addidi NOSTER. Quare quemadmodum nec Paulus, ita nec ego vnquam sensi, omnia redigenda in Deum, sed Deum fore omnia in nobis, IN NOBIS, inquam, videlicet apertè significans, nos non redigendos in nihilum, vt nihil prorsus præter Deum remaneat, sed nos in nostra substantia resuscitatos, non collecturos particulatim, & quasi emendicatim ea, quæ sunt nobis ad vitam & salutem nostram necessaria, ab alijs creaturis mediatè, quemadmodum in hoc seculo fieri solet: sed nos

habitu-

habituros omnem noſtram ſalutem & fœlicitatem à Deo ipſo immediatè, vt ad ſuſtentationem vitæ, non amplius indigeamus externo cibo & potu: ſed Deus ipſe ſit noſter cibus & potus, ad fruendum perpetuo gaudio & lætitia, non indigeamus externa hac terra, aut amœnis hortis, nec hoc externo corporali, aut fictitio Empyreo cœlo, ſed Deus ipſe ſit gaudium, lætitia, & cœlum noſtrum, ad habendam veram & æternam iuſtitiam, non indigeamus externa prædicatione & auditu Euangelij, ſed Deus ipſe erit noſtra iuſtitia. Breuiter ad poſſidendam æternam fœlicitatẽ, & beatitudinem, non indigeamus amplius vllius creaturæ adminiculo, ſed Deus ipſe erit NOBIS, & IN NOBIS OMNIA. Hoc planè illud eſt, quod aliàs Paulus ſcribit: Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc verò cognoſcam, quemadmodum cognitus ſum. Deus enim cognoſcit nos intus & in cute. Nihil eſt vel in animo, vel in corpore, quod ſit à Deo abſconditum. Sic & tunc cognoſcemus Deum in futura beatitudine, vt nihil prorſus diuinæ maieſtatis & fœlicitatis nobis ſit occultum, ſed omnia erunt nobis nõ tantùm aperta, & conſpicua, verùm etiam communicata & participata. Hæc erit ſumma noſtra fœlicitas. Quod & Chriſtus ipſe docet. Hæc eſt, inquiens, vita æterna, vt cognoſcãt te ſolùm verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et Ioannes: Nunc, inquit, filij Dei ſumus, et nõdum apparuit id, quod futuri ſumus. Scimus autem, quod ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam

quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Habes hanc eſſe ſolam & veram noſtram beatitudinem, non quòd aut ſeſſuri aut deãbulaturi ſimus, in fictitio illo cœlo Empyreo, ſed quòd futuri ſimus ſimiles Chriſto, & viſuri ſimus Deum SICVTI EST. Hæc viſio noſtra erit beatitudo. Si enim in hac vita, patriarcha Iacob dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, quantò maiorem ſalutem poſsidebimus, cùm in altera vita videbimus Deum facie ad faciem, ſicuti eſt. Hac viſione impleti, omnia poſsidebimus. Et hactenus quidem nihil fuit creaturarum, nec in cœlo nec in terra, quod potuerit animum noſtrum explere, & exatiare. Non cœlum, non terra, non humana ſapientia aut ſcientia, non honor aut maieſtas, non principatus, aut imperium, non quicquid eſt in vniuerſo orbe terrarum. Solus Deus, qui eſt omnium bonorum theſaurus, poteſt animũ noſtrum explere, nec quicquam rerum nobis, cùm eum videbimus, ſicut eſt, deerit. Equidem cùm illud Pauli, Deus erit OMNIA IN OMNIBVS, interpretarer iſs verbis, quæ paulò antè commemorauimus, quid aliud feci, quàm quòd prorſus nihil de meo adiecerim, ſed illam tantùm vniuerſalem vocem, OMNIA, diduxerim in ſuas ſpecies. Quid enim OMNIA illa, de quibus Paulus eo loco loquitur, aliud ſunt, quàm quæ nobis ex creaturis ſunt ad noſtrum vſum ſalutaria, cœlum, terra, locus, cibus, potus, iuſtitia, ſapiẽtia, & reliquæ virtutes. Cum igitur Deus erit in nobis OMNIA, certè erit noſtrum cœlum, noſtra terra, noſter locus, noſter cibus, noſter potus, noſtra iuſtitia,

ſtitia, noſtra ſapientia, noſtra virtus, noſtra lætitia, noſtrum gaudium, noſtra beatitudo. Hoc, ſi Bullingerus exiſtimat eſſe falſum, & putat ad veram & æternam beatitudinem non ſufficere, quòd videamus Deum ſicuti eſt, ſed neceſſe habeamus, in certo loco, in ſede quadam corporea, quam cœlum Empyreum vocant, corporaliter verſari, & aliquoties ſtare, aliquoties ſedere, aliquoties deambulare, poſſet quidem tam puerilibus & carnalibus cogitationibus, (ſi modò puerliter & ſimpliciter confictæ eſſent) ſpe profectus ad viriles & pias cogitationes, ignoſci. Nunc autem, quia non tantùm peruicaciter rixatur, verùm etiam calumniatur, conuitiatur, execratur, & damnat omnes diuerſa ſentientes, ac niſi ſe ſentẽtiæ ipſius adſcribant accuſat ipſos defectionis ab Eccleſia catholica, & vociferatur, eos negare veritatem noſtræ reſurrectionis à mortuis, meritò abijciendus eſt inter αὐτοκατακρίτους, qui pœnã luent, interitum æternum, à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius, cum venerit, vt in ſanctis ſuis glorificetur, & fiat in omnibus credentibus admirandus.

B. 335.

De ſeſsione Chriſti ad dextram Dei.

HIS ita pertractatis, & abſolutis, accedamus ad ſeſsionem DOMINI noſtri Ieſu Chriſti, quæ eſt ad dextram Dei patris ſui omnipotentis. Hæc tractatio non ſolùm illuſtrabit incar-

incarnationē Christi, & ascensum eius in cœlum, verumetiam corpus & sanguinem eius in cœna ita sistet, vt qui veram eorum præsentiam negat, veram etiam maiestatem, adeoq; diuinitatem Christo communicatam, neget. Initio autem constituemus verum & proprium huius controuersiæ statum. Cum enim hîc quæritur de dextra Dei, quid sit, & quatenus pateat, seu, se, vt ita dicam, extendat, non quæritur, quid aut possit simpliciter significare, aut alicubi in scriptis Prophetícis & Apostolicis significet. In Hieremia dicit DOMINVS de Iechonia: Si fuerit annulus in manu dextera mea, inde euellā eum. Sit sanè, quòd dextera Dei hoc loco significet maximam cōiunctionem, Dicit & mater filiorū Zebedæi ad Christū: Dic, quæso, vt vnus sedeat in regno tuo ad dexterā tuam, alter ad sinistram. Et Christus ipse: Sedere ad dexterā meā, & sinistrā meā, nō est meum dare. Ac rursus: Statuet oues à dextris suis, hœdos autē à sinistris. Intelligatur sanè in his dictis nomine dextræ, fœlicitas, quæ continget beatis in regno Christi. Etsi enim hîc non fit sermo de dextra Dei patris, sed Christi filij eius, tamē hoc discrimen in præsentia non erit nobis curæ, quippe quòd iam nō quæramus de nomine dextrę, quid simpliciter significare possit, & quid alicubi in sacris literis significet. Sed quęrim⁹, quid dextra Dei patris verè & ꝓprie in hoc religionis nostræ articulo: Sedet ad dextrā Dei patris omnipotētis, significet. Illud inquā, q̄rimus, quid nomine dextrę Dei, in p̄cipuo illo, quē recitauimus articulo fidei, de Christo, ꝓprie veniat. Auditis ne vos *Hiere.22.*

sessione Christi DOMINI nostri ad dextram Dei patris sui, sermo est. Hîc quæritur, quid significet dextra Dei. Et vt adhuc significantius loquar, in præsentia non inquirimus in diuinitatẽ, qua filius Dei ab æterno sedet ad dextram patris sui, imò qua ipse est patris sui dextra. Sed quærimus de humanitate filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, videlicet, quid sit ea patris dextra, ad quam Christus iuxta humanitatẽ suã, secundum Prophetica & Apostolica scripta, consedit. Hîc Bullingerus non negat quidẽ, quòd dextera Dei vsurpetur alicubi in scripturis pro infinita maiestate & potẽtia Dei, neq; inficias it, quòd sedere ad dextrã patris, sit in summa maiestate Deo patri cõregnare: sed interim affirmat me iniquissimè negare, quòd dextera significet illã fœlicitatẽ & sedem, quæ beatis cõmunicatur. At .n. haud obscurè apparet attento lectori, Bullingerũ esse iniquissimũ hominẽ, primũ enim, vide, quæso, quàm insigni malitia mea verba puertat, & calumnietur. Dixi .n. quemadmodũ ipsemet recitat, dextera Dei non est certus locus in corporeo & locali cœlo, quemadmodũ Cingliani imaginant, nec est talis tantum fœlicitas, qualis in cœlesti regno cõtinget omnib. in Christũ credentibus. Sed est summa & infinita Dei maiestas, & omnipotentia. Hactenus mea verba, in quibus & illud diserte continetur. Nec est talis tantùm fœlicitas, qualis cõtinget in cœlesti regno omnibus credentibus in Christum. Nec est talis, inquam, TANTVM fœlicitas. Quo apertè fateor, dexteram Dei, complecti etiam eam fœlicitatẽ, qua beati perpetuò in Christo

Christo, & propter Christũ in cœlesti regno fruũtur. Non TANTVM, inquam, est talis fœlicitas, &c. Quid autem Bullingerus? Quid, nisi vt testificetur, se egregium calumniatorem? Dicit enim: Quod verò ille, (Brentius) id quod ego asserо, negat, dexteram Dei significare illam fœlicitatem & sedem, quæ beatis cõmunicatur, euidenti demonstratione euincam ipsum hoc negare iniquissimè. Et paulò post: Demonstraui, inquit, spero, aduersarium in sua descriptione dextræ Dei, contra veritatem Apostolicam asseruisse, dextram Dei, non significare fœlicitatem, qualis in cœlesti regno obtinget omnibus in Christũ credentibus, &c. Quæso igitur te, optime lector, vt hominis malitiã obserues. Dicit me iniquissimè negare, quòd dextra Dei significet illam fœlicitatem, quæ beatis cõmunicatur. Dicit me in descriptione dextræ Dei asseruisse contra Apostolicam veritatem, quòd dextra Dei non significet fœlicitatem credentium. An verò ego, cùm dico, dextram Dei, non significare talem TANTVM fœlicitatem, quę beatis communicatur, non eo ipso fateor, dextram Dei complecti etiã illam beatorum fœlicitatem? Quare, etsi ille mea recitando verba retinet particulam (TANTVM) tamen, cùm postea omittit, & accusat me longè alterius sententiæ, quàm mea verba continent, declarat se insignem esse calumniatorem, & apertè designare crimen falsi. Hoc est, satanicum scelus. Deinde, quòd ego dixi, dexteram Dei non significare certum locum, in corporeo & locali cœlo, nec ignorat me nomine loci intelligere su-

perficiem corporis continentis, & localem circumſcriptionẽ, ipſe pro certo loco reſtituit SEDEM, quod vocabulum in hoc argumenti genere (Cùm ſederit, exempli gratia, filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſedes duodecim. Et iterum: Filius hominis ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ, &c.) metaphoricè & translaticiè vſurpatur. Viſum autem eſt Bullingero, Sedis vocabulo vti, vt faciat ſuſpicionem, perinde ac ſi ego negarem, beatos non habere locum in cœleſti regno cum Chriſto, hoc eſt, non eſſe participes beatitudinis cum Chriſto. Huc enim reſpiciunt dicta ſcripturæ, quæ commemorat: Aſſumam vos ad meipſum, vt, vbi ego ſum, ibi & vos ſitis. Et iterum: Vbi ego ſum, ibi erit & miniſter meus, &c. At enim bone vir, non iam eſt præcipuè ſermo, de communicatione fœlicitatis & beatitudinis Chriſti cum hominibus beatis. Scimus beatos fore cum Chriſto in cœleſti regno, ſcimus eos ſimul cum Chriſto conſeſſuros in cœleſtibus (hoc eſt) eos fore participes cœleſtis maieſtatis Chriſti. Hæc eſt vnica ſpes noſtra, & conſolatio in omnibus aduerſis, quòd ſi cum Chriſto in hoc ſeculo affligimur, cum ipſo etiam in futuro ſeculo conregnemus. Quare ſicut de hoc nullum eſt apud verè pios dubium, ita in præſentia de eo principaliter non agitur. Sed illud quæritur, illud agitur. Quid ſignificet dextera Dei patris in hoc religionis noſtræ articulo, de Chriſto: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Etſi enim beati fiunt participes maieſtatis & fœlicitatis Chriſti, tamen non fiunt Chriſtus

ſtus ipſe, non fiunt Deus ipſe, non fiunt ipſum eccleſiæ caput, non fiunt plenitudo ipſa, ſed manent membra ſub capite Chriſto, & de plenitudine eius accipiunt. In priori ſcripto recitaui verba Pauli, vnicuique noſtrum data eſt gratia, iuxta menſuram donationis Chriſti, vt oſtenderem, fore in futuro ſeculo diſcrimen inter beatos, non quidem in eſſentiali, vt loquuntur beatitudine, ſed in varietate gloriæ, quam vocãt accidentalem. Tanta autem inſolentia & moroſitate ſunt aduerſarij, vt etſi negari nõ poteſt, quin res ipſa ſit veriſsima, videlicet, quòd in futura fœlicitate ſit diſcrimen gloriæ inter beatos, iuxta illud Pauli: Alia gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum, ſtella ſiquidem à ſtella differt in gloria: tamen teneri non poſſunt, quin altercent cauſificantes, locum Pauli intelligendum de donis præſentis, ſeu vt alij loquuntur, militantis eccleſiæ, in hoc ſeculo, non triumphãtis in altero. Equidem non nego, τὸ ῥητὸν Pauli de præſentis eccleſiæ donis loqui: ſed cũ veritas rei ita ſeſe habeat, quòd beati etiam in triumphante eccleſia accepturi ſint, gratuita tantùm clementia Dei, propter Chriſtum, diuerſam iuxta diſpenſationem talentorum ſuorum, quæ ipſis in hoc ſeculo commendata fuerant, mercedem, non video, cur mihi non liceat eadẽ vti libertate, qua vſus eſt Paulus in concione, quam habuit in Antiochia Piſidiæ. Quod enim Propheta Abacuc de imminenti calamitate Iudæorũ, qua eijciendi erãt per Chaldæos è regno ſuo terreno, dicit, hoc Paul. ad calamitatẽ futu re excęcationis et abiectionis Iudęorũ è regno Chriſti

accom-

accõmodat. Videte, inquiens, ne ſuperueniat vobis, quod dictum eſt in Prophetis. Videte contemptores, & admiramini, et obſtupeſcite, quia opus ego operor in diebus veſtris, quòd non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.

Sed vt reuertamur ad inſtitutum, tametſi beati in regno cœleſti fiunt in ſuo quiſq; ordine, & pro ſua ordinaria capacitate participes plenitudinis & beatitatis Chriſti, ac fruuntur vnà cum Chriſto cœleſtibus ſuis beneficijs, tamen non fiunt nec Chriſtus nec Deus ipſe, nec habent maieſtatem cum ipſo prorſus æqualem, vt quemadmodum epiſtola ad Hebræos dicit. Ad quem angelorum dixit vnquam: Sede à dextris meis, ita & nos dicere poſſumus. Ad quem HOMINVM (præterquam ad ſolum ſemen Abrahæ) dixit vnquam: Sede à dextris meis. Cùm igitur nullus nec angelorum, nec hominum, præter Chriſtum, collocatus ſit ad dexteram Dei, quæritur, quæ ſit illa Dei dextera, ad quam Chriſtus eſt collocatus, illa, inquam, dextera, de qua propriè fit ſermo in hoc religionis noſtræ articulo, omnibus Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis confirmato: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Hîc apertè, clarè, perſpicuè, dicimus, quòd dextera illa non ſit certus locus (hoc eſt) non ſit vllus talis locus, qualem falsò fingit Bullingerus, videlicet, qui ſit ſuperficies corporis continentis in cœlo illo Empyreo, in quo Chriſtus corporali & locali modo circumſcribatur, & nunc quidem ſedeat, nunc ſtet, nunc deambulet. Hanc dextræ Dei ſignificationem,

nem, in illo articulo: Sedet ad dextram Dei, aduersarius hactenus firmis argumentis nunc̄ probauit, nec nunc probat, nec vnc̄ in æternum probabit. Primùm enim, nullum est in rerum natura tale Empyreum cœlum, quale Cingliani somniant, id quod in prioribus scriptis ex Mose tam luculenter demonstrauimus, vt quòd Bullingerus, vel verisimiliter contradicat, nihil habeat. Deinde, sicut tempus, ita & locus superficies, videlicet, corporis continentis, vnà cum hoc mundo, & seculo enata sunt, ita etiam cum eo trãsibunt, quemadmodum & aliàs explicuimus. Quare in altero illo, futuro, reuelando, spirituali & cœlesti seculo, nullus prorsum erit huic loci generi locus. Et quis obsecro esset vsus eius? Non enim sunt, nec erunt ibi, nisi aut spiritus, aut corpora spiritualia. Manifestum autem est, quòd spiritus non indigeant, nec circumscribantur locis, hoc est, superficiebus corporis continentis. Cedò, quis locus continuerit Deum patrem, filium, & Spiritum sanctum, ac angelos, priusquam hic mundus conditus est? Sunt enim, qui sentiunt, (quod & verisimile est) angelos non à condito, sed ante conditum mundũ creatos esse. Et tamen fuerunt in summa fœlicitate, Deus quidem pro immensa sua maiestate, angeli autem boni, pro sua capacitate. Quod verò attinet ad corpora spiritualia, ne hæc quidem indigebunt loco, quo corporali & locali modo circumscribantur. Etsi enim non mutabuntur in essentiam spirituum, tamen ornabuntur conditionibus spirituum. Vt sicut spiritus non sunt nec temporales, nec locales,

ita et corpora ſpiritualia non erunt nec temporalia nec localia. In reſurrectione (inquit Chriſtus) erũt ἰσάγγελοι, hoc eſt, æquales angelis. Et Paulus: Seminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia. Moueri autem de loco in locum, motu phyſico, & gradatim, non eſt gloriæ, ſed ignominiæ, non eſt potentiæ, ſed infirmitatis, infirmitatis inquam. Poſtquàm igitur reſurgemus in gloria & potentia, quomodo adhuc inhæreret nobis, quod eſt imbecille & infirmum?

Sed agedum, demus interim aduerſario, quòd ſit in altero ſeculo talis locus, qualẽ humana ſomnia fingunt, nunquàm tamen è ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis, quę ſunt lucerna pedibus noſtris, probabitur, quòd dextra Dei in hoc articulo: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, ſignificet certum in cœlo locum, in quo Chriſtus cum humanitate ſua, corporaliter & localiter, ita circumſcribatur, vt non poſsit ſimul eſſe in multis, adeoq; omnibus locis, ac in primis in cœlo, & in cœna ſua. Quid ergò eſt dexterailla Dei, in hoc articulo? quæ eſt propria eius ſignificatio? In priori ſcripto luculenter demonſtraui, quòd dextra Dei in hoc articulo, non ſignificet tantùm dextram vulgaris fœlicitatis, quali etiam Sancti in cœleſti regno fruentur: ſed ſignificet propriè dextram maieſtatis & OMNIPOTENTIAE Dei, vt ſedere Chriſtũ ad dextrã Dei patris, in hoc articulo ſignificet, Chriſtum cum Deo patre ſuo, æquali eſſe maieſtate & omnipotentia. Ac ad comprobandam hanc ſententiam,

tiam, verba ipsa Christi & Apostolorum disertè recitaui. Amodo, inquit Christus, videbitis filium hominis sedentẽ à dextris virtutis, VIRTVTIS, inquit (hoc est) omnipotentiæ. Ac iterum: Ex hoc tempore erit filius hominis, sedens à dextris VIRTVTIS DEI. Hæc virtus Dei, quid obsecro aliud est, q̃ omnipotentia Dei? Nihil enim est in Deo imperfectum, omnia sunt in ipso perfectissima & absolutissima. Cum igitur virtutem Dei in Deo dixeris, non impotentiã nec multipotentiã, sed OMNIPOTENTIAM dixeris. His additur locus, qui est in epistola ad Hebræos: Consedit in dextera maiestatis in excelsis. Et adiũgitur expositio. Nõ ait, cõsedit in dextera certi loci, in cœlo corporeo, sed consedit in dextera MAIESTATIS IN EXCELSIS, hoc est, in cœlesti regno, in quo omni Dei maiestate ornatus est. Ac ne quis cogitaret, veram & propriã significationẽ dextræ Dei in hoc articulo nondum satis esse his paucis verbis Christi, & epistolæ ad Hebræos, explicatam, adduxi multa alia dicta, tam Christi filij Dei, qui apertis verbis ait: Data est mihi OMNIS POTESTAS in cœlo & in terra, (hæc certè est expositio illius articuli: Sedet ad dextram Dei patris omnipotẽtis) quàm Pauli maximorũ arcanorũ conscij. Hîc enim scribens ad Ephesios luculenter interpretatur, quid sit & dextra Dei, &, sedere ad dextram Dei. Sedere, inquiens, fecit eum ad dextram suam in cœlestibus. Quid ergò hoc est? quid est sedere ad dextrã Dei in cœlestibus? Sequit mox: Supra omnẽ principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium, Pag. 51.

& OMNE NOMEN, quod nominatur, nõ solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro, & OMNIA subiecit sub pedibus illius, & dedit eum caput super omnia, ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui OMNIA IN OMNIBVS adimplet. Habes hîc memorabilem et insignem interpretationem tam dextræ Dei, quàm sessionis ad dextram Dei. Dextra enim Dei est, interprete Paulo, maiestas & excellentia supra omnem principatũ, & supra omne nomen in hoc & futuro seculo. Sedere autem ad dextram Dei, est habere maiestatem & excellẽtiam super omnem principatum, & nomen supra omne nomen in hoc & futuro seculo, habere omnia sub pedibus suis subiecta, esse caput ecclesiæ, ac breuiter, implere omnia in omnibus. Quid amplius quæris? Vis ne excellentiorem & cœlestium arcanorum magis conscium habere interpretem? Huic additur & alter locus Pauli, qui est ad Philippenses. Deus extulit illum in summam sublimitatẽ & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestiũ, terrestrium, & infernorum. Est & hæc interpretatio sessionis Christi ad dexteram Dei patris sui omnipotentis. Sedere enim ad hanc dextram, est elatum esse in summam maiestatem, & donari nomine Dei, (hoc enim est nomen super omne nomen) vt ab omnibus creaturis, cœlestibus, terrestribus & infernis, quas in manu sua cõtinet, et quas corã gubernat, adoretur. Habes iterum quid sit & dextra Dei, & sedere ad dextã Dei. Duo igitur p̃cipuè hîc obseruanda veniunt. Alterum est,

est, quòd cùm dextra Dei in hoc articulo, de quo in præsentia loquimur, significet maiestatem & omnipotentiam Dei, non potest, non potest, inquam, significare certum locum, in quo Christus cum corpore suo localiter circumscribatur, & in quo gradatim, corporum in hoc seculo more, incedat. Maiestas enim Dei, & omnipotentia eius non patiuntur se in vnum locum, quamuis amplissimum includi, & circumscribi, sed patent, quacunq; essentia Dei patet. Alterum est, quòd etsi Christus ab externo spectaculo ascensus sui in cœlum, dicitur consedisse ad dextram Dei patris sui omnipotentis, tamen veritas huius rei non tùm primùm facta est, cùm Christus ascendit visibiliter in cœlum, & misit discipulis spiritum sanctum, sed cum verbum caro factum est, & assumpsit humanitatem in Deum. Reuelatum autem est & comprobatum, cùm Christus resurrexit à mortuis, & diuulgauit, misso spiritu sancto, Euangelion suum in vniuersum orbem terræ. Reuelabitq; adhuc clarius, cùm ostensurus est maiestatem suam in extremo die, & susceptur us ad se vniuersam suam Ecclesiam, in omnem æternitatem, & fœlicitatem. Hæc & id genus alia, quæ ad nostri instituti explicationem facere videbantur, exposui pro mea tenuitate, in prioribus scriptis, non obscurè, nec vt puto, indiligenter. Et tamen meus antagonista audet impudenter vociferari, me ad sua testimonia nihil respondisse, sed præterijsse. Somniat enim, nihil responderi, nisi ad singula, sicut antea diximus, expressè adijciatur. Hîc RESPONDEO,

etiamsi causam propriis suis fundamentis tam perspicuè confirmaueris & munieris, vt vanitas aduersarij, palàm, nullo etiam monitore, eluceſcat. Ne hìc (inquit) singula repetam, quæ ibi recensui, quid respondet (Brentius) obsecro, ad hæc clarissima sancti Pauli ad Hebræos verba: Christus consedit in dextera maiestatis, in excelsis? Et iterum ad Colosſ. dicit idem Apostolus. Si resurrexistis vnà cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dextram Dei sedens. Et addit. Quis, inquiens, hìc obsecro ingenij est vsq; adeo retusi, studioq; contradicendi furens, qui negare ausit verba Apostoli: In excelsis, &: In superna, Vbi est, en, Vbi est, nunquam ad vbiquitatem extendi, sed certum nobis locum denotare. Hæc ille.

Equidem agnosco, me non esse ingenij multum acuti & perspicacis: attamen illud, diuino beneficio, videre possum, quòd verba Apostoli: In excelsis, &: In superna, in his quidem locis, quæ commemorata sunt, tam non queant certum locum denotare, ac præsertim talem locum, qualem aduersarius in fictitio cœlo collocat, de quo sæpè dictum est, quàm hoc cœlum non potest significare terram. Quod enim epistola ad Hebræos dicit: Consedit in dextra maiestatis, in excelsis, hoc Paulus ad Ephesios, quasi exponens, dicit: Sedere fecit ad dextram suam, in cœlestibus. Quod in Hebræis est (in excelsis) hoc in Ephesijs est (in cœlestibus.) Num ergo, in cœlestibus, erit certus locus in fictitio cœlo Empyreo, in quo Chri-

stus

ſtus localiter & circumſcripto modo habitet, aut de loco in locum corporaliter deambulet? Hoc quidem à Cinglianis facilè dici poteſt, non poteſt autem vllis firmis argumentis probari. Sed Epiſtola ad Hebræos ipſa ſe interpretatur, cum ait: Conſedit in dextra maieſtatis. In maieſtatis autem dextra ſedere, non eſt in certo loco ſedere, ſed eſt cœlum & terram implere, ac omnia coràm, cœleſti modo gubernare, quemadmodum ſuprà copiosè eſt expoſitum. Quare, quod ſequitur, in excelſis, non poteſt, pro certo loco in eo cœlo, quod probauimus eſſe fictitium, intelligi. Deinde, in eadem epiſtola, eodemq; loco, mox additur: Tanto præſtantior factus angelis, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen. Pugnat & hoc cum ea expoſitione, qua, in excelſis, pro certo loco intelligitur. Angeli enim, vt ſubſtantia ſua non indigent locis, ita nec circumſcribuntur locis, hoc eſt, ſuperficie corporis continentis. Si autem Chriſtus in dextra maieſtatis circumſcriberetur locis, non eſſet præſtantior Angelis factus, quippe quòd circumſcribi certo loco, non ſit ſummæ maieſtatis, ſed aut corporalis infirmitatis, aut ſpontaneæ, ad gratificandum aliorum infirmitati, diſpenſationis. Quare, vt Chriſtus maneat præſtantior & excelſior Angelis, neceſſarium eſt, vt pro cœleſti ſua maieſtate, nullo corporali loco circumſcribatur. Præterea, in eadem epiſtola dicitur alias de Chriſto, quod penetrauerit ſeu peruaſerit cœlos, & factus ſit ὑψηλότερος, hoc eſt, excelſior cœlis, quomodo

quomodo igitur poteſt illud (in excelſis) certum locum in cœlis ſignificare? Et quid? Si (in excelſis) intelligendum eſt, hîc, cùm fit ſermo de Chriſto in throno maieſtatis ſuæ, pro certo in cœlis loco, quo circumſcribatur, teneri nemo poteſt, quin & aliàs cùm fit ſermo de Deo, vocabulum Excelſi, pro certo in cœlis
2. *Reg.* 22. loco exponat. In Pſalm. dicitur: Tonabat de cœlo DOMINVS, & excelſus (hoc eſt) in certo loco cœli circumſcriptus, dabat vocem ſuã. Similiter Dan. 4. Dominatur excelſus, (hoc eſt) certo loco cœli concluſus,
Iob 16. ſuper regnum hominum. Et in Iobe 16. Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus, IN EXCELSIS, hoc eſt, in certo cœli loco circumſcriptus. Et angeli canunt: Gloria in excelſis Deo, hoc eſt, in certo loco cœli. Quid magis abſurdum dici poteſt? Quod ſi libet de hac re etiam veterum patrum ſententiam conſulere, non profectò interpretantur, (quod ego quidẽ ſciam) illud in excelſis, pro certo loco in cœlo Empyreo, in quo Chriſtus localiter circumſcribatur, ſed alij quidem exponunt pro æqualitate honoris, alij pro potioribus bonis. Quid eſt, inquit Chryſoſtomus, In Excelſis? Num loco includit Deum? Abſit. Sed ſicut cùm dixit: In dextera, non figuram humani corporis Deo tribuit, ſed ſimilitudinẽ demonſtrauit honoris, quem filius æqualem habet cum patre. Ita cum dicit: In excelſis, non eum loco includit, (NON EVM, inquit, LOCO INCLVDIT) ſed oſtendit omnibus altiorem, omnibus eminentem. Sicut ergo pater in excelſis eſt, ſic & filius. Confeſſus enim nihil demonſtrat aliud, niſi

In epiſtolam ad Hebræos.

honoris

honoris æqualitatem. Hæc ille. Pugnat ergo Chrysostomus apertè, cum commentitia Bullingeri expositione. Et quid multis opus? Cum sacra scriptura manifestè doceat, dexteram Dei, ad quam consedit Christus Dominus noster, significare maiestatem, & omnipotentiam Dei, quæ manum suam in cœlum & in terram porrigit, manifestè etiam refutat, vanissimum illud figmentum, quo dicitur, Christum sedere in certo cœli Empyrei loco, è quo liceat quidem ipsi surgere, stare & deambulare: sic autem in excelsis circumscriptus teneatur, vt corpus suum, ne Dei quidem potentia, queat simul in cœlo & in cœna esse: quasi verò non sit in excelsis, etiamsi fuerit in cœna, & quasi cœna non esset actio excelsa & cœlestis. Quod igitur Apostolus dicit, eum sedere in excelsis, non includit eum in corporalem locum, quo in maiestate sua circumscriptus comprehendatur. Et hæc est præcipua causa, cur in priori libello, non voluerim prolixum commentarium in hunc Apostoli locum scribere, sed paucis tantùm verbis attingere. Non enim putaui, quenquam esse vsq; adeo retusi ingenij, (vtor enim verbis Bullingeri) studioq; contradicendi furere, qui non, vel paucissimis admonitus, intelligeret, hoc Apostoli dictum, In excelsis, prorsus imperitè & absurdè ad certum cœli locum contorqueri.

Sed age, etsi prorsum negamus Christum in dextra maiestatis Dei patris, teneri in certo loco circumscriptum, tamen si permiserit nobis (vt certè necesse habet permittere, vel inuitus, nec potest negare, nisi

impudentiſsimus & impiſſimus) quòd dextra Dei, in hoc religionis articulo: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, ſignificet dextram maieſtatis, & OMNIPOTENTIAE Dei, permittemus & ipſi, vt pro more puerorum ſomniet corporale cœlum beatorum, in quo Chriſtus contineatur certo loco circumſcriptus, quid inde conficiet? Si fatetur, & piè intelligit, Chriſtum cum corpore ſuo ſedere ad dextram maieſtatis & omnipotentiæ Dei, neceſſe habet fateri, ibi eſſe Chriſtum cum corpore ſuo, vbi eſt dextera, maieſtas videlicet & omnipotentia Dei. At hæc implet, pro modo quidem dextræ Dei, cœlum & terram, ideoq; fatendum eſt, quòd corpus eius ſit etiam in cœna. Fatemur enim & nos, quòd Chriſtus in ea cœna, in qua inſtituit ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ſederit iuxta exinanitionem ſuam, in vno certo menſæ loco circumſcriptus: & tamen interim diſtribuerit diſcipulis, iuxta maieſtatem ſuam, verum ſuum corpus pane edendum, & verum ſuum ſanguinem vino bibendum. Et hactenus quidem poſſet ſimplex, carnalis, & puerilis imaginatio aduerſari, de ſeſsione Chriſti in certo loco cœli, in quo interdum ſtaret, interdum deambularet, vtcunq; tolerari. Si autem pergit negare & oppugnare veram & ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, manifeſtum eſt, quòd, etſi verbis confitetur, dextram Dei, ad quam conſedit Chriſtus, ſignificare maieſtatem & omnipotentiam Dei, quæ cœlum & terram implet, neget tamen & oppugnet

pugnet reipsa hanc dextræ Dei significationem. Tolerari igitur in Ecclesia Dei non potest, quòd nomen dextræ Dei in hoc articulo: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, ad certum & circumscriptum cœli, præsertim fictitij illius Empyrei locum, detorqueat. Hactenus de dicto Epistolæ ad Hebræos. Dicamus etiam de illo, quod extat in epistola ad Colossenses. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei, &c. Existimabam autem veram huius dicti sententiam, ex interpretatione D. Lutheri fœlicis memoriæ, nostris (Cinglianos enim, qui hæc, etiamsi legerint, fastidiunt, suo iudici relinquo) vsq; adeo cognitam perspectamq; esse, vt ne admonitione quidem egerent. Ac ne in præsentia quidem pluribus tractabo: quippe quòd suprà, verba ipsa interpretationis Lutheri commemorauerim. Manifestum enim est, quòd in eo dicto Pauli, vocabulis, sursum, suprà, & vbi, prorsus non intelligantur loca superna, corporalia, & circumscripta, qualia sunt in hoc corporali & circumscripto mundo, siue in cœlo, siue in terra: sed significent ea, quæ sunt superiora dignitate, virtute, maiestate, sicut & Paulus seipsum clarè interpretatur. Cum enim dixisset. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, paulò post addit ea quæ sunt sursum, & quæ iubet quærere: Induite inquiens, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem,

tudinem, lenitatem, &c. Hæc ſunt dignitate ſuperna, & maieſtate cœleſtia, quæ nos Paulus quærere iubet. Sic &, quæ ſunt in terra, & terrena, hîc non dicuntur loca terreſtria, ſed peccata & ſcelera, quæ indigna ſunt, vt ea ſancti & electi homines ſectentur. Mortificate, inquiens, membra veſtra, quę ſunt ſuper terram (hoc eſt) terrenis vitijs infecta, ſtuprum, immunditiam, molliciem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, &c. Sed copioſior huius dicti interpretatio petenda eſt è verbis Lutheri, quæ ſuprà recitaui. Tantum enim abeſt, vt hoc dictum probet, dextram Dei eſſe certum & circumſcriptum locum in cœlo, in quo Chriſtus localiter contineatur, vt potius tam carnale ſomnium damnet, & doceat, Chriſtum DOMINVM noſtrum, ita ad dextram Dei collocatum eſſe, vt Eccleſiam ſuam coràm gubernet, & nobis ſupernas ac cœleſtes virtutes conferat. Nam præter alios vſus, Chriſtus etiam propter illum reſurrexit à mortuis, & conſedit ad dextram Dei, vt nos viuificet, regeneret, & varijs ac cœleſtibus donis ſpiritus ſancti ornet.

Sed pergit Bullingerus, & ſicut vociferatur, ſacram ſcripturam teſtificari, quòd nomine dextræ Dei ſignificetur certus beatitudinis locus, ita vociferatur, ſanctos etiam patres ſe huic ſententiæ adſcribere. Oſtendimus autem antea luculenter, primùm, quòd ea ſcripturæ loca, quæ recitauit, nihil prorſus ad confirmandum aduerſarij ſomnium, faciant. Suprà enim in cœlo eſſe, cùm ſit ſermo de regno & maieſta-

te Chri-

te Christi, non significat, Christum loco ita esse circumscriptum, vt non possit corpore suo simul esse in cœlo, & in terra: sed significat, Christum non amplius agere externam & mũdanam vitam inter homines, agere autem cœlestem vitam, gubernare cœleste regnum, idq; non absentem, in aliquo certo fictitij cœli loco, sed coràm, tam in hoc cœli firmamento, quàm in terra, pro ratione cœlestis suæ maiestatis & omnipotentiæ præsentem. Falsum igitur est, quòd Cingliani dicunt, Christum cum corpore suo ita esse in cœlo, vt non possit simul etiam esse in cœna. Deinde, ostendimus, quòd cùm Bullingerus fatetur, dexteram Dei in hoc articulo: Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, significare maiestatem & omnipotentiam Dei, eo ipso neget & refutet commentitiam suam dextræ significationem, de certo cœli loco. Si enim Christus humanitate sua (de huius enim exaltatione & maiestate sit in præsentia sermo) sedet ad dextrã maiestatis, & omnipotentiæ Dei patris sui, manifestum est, quòd vbicunq; fuerit maiestas & omnipotentia Dei, ibi sit quoq; Christus humanitate sua. Maiestas autem & omnipotentia Dei implent cœlum & terram. Ex quo perspicuè consequitur, quòd et Christus, verus Deus, & verus homo, omnia tam cœlum, quàm terram maiestate suæ diuinitatis & humanitatis, pro ratione dextræ Dei, impleat, & coràm præsentissimus gubernet. Consequitur & illud, quòd Christus nõ contineatur vno certo cœli vel veri, vel fictitij loco: ideoq; etsi Christus est in sum-

ma beatitudine, tamen dextra Dei in hoc, de quo loquimur, articulo, non significet certum et circumscriptum, sicut Bullingerus somniat, beatitudinis locum. Nec illud iuuat Bullingerum, quòd quædam vocabula varias admittãt significationes. Quis enim hoc vnq̃ negauit? aut quis de eo dubitat? Sed illud negatur, illud refutatur, quòd dextera Dei, in hoc articulo religionis: Sedet ad dextram Dei patris, significet certum beatitudinis in cœlo corporeo, vel illo firmamẽto, vel Empyreo fictitio, locũ. Ponamus enim, nomine dextræ alicubi circumscriptum fœlicitatis locum significari. In hoc autem, de quo loquimur, articulo, non potest significare certum locum, quippe quòd hæc significatio, per illam priorem, quæ est de maiestate & omnipotẽtia Dei, euertatur, et tollatur. Ac vnũ & idem vocabulum (brachiũ, exempli gratia, baptisare, & benedicere, quę vocabula libuit Bullingero recitare) potest quidem in diuersis locis, iuxta circumstantias diuersa habere significata: vt autem habeat in vno loco, in vno dicto diuersa, eaq̃ pugnãtia significata, hoc nemo sana mẽte præditus vnq̃ dixerit. Quod si permissum fuerit Bullingero, vt in vocabulũ dextræ Dei, in hoc articulo, de sessione Christi, introducat significationem non solũ maiestatis & omnipotentiæ Dei, verumetiã, certi & circumscripti loci beatitudinis in cœlo corporeo, quid aliud consequeretur, q̃ quod inidẽ vocabulũ, in eodẽ dicto, pugnantia inter se significata intruderentur? Maiestate enim sua esse omnipotentẽ, ac omnia implere, & tamen eadẽ maiestate vno certo

loco

loco ita circũscribi, vt ne diuina quidẽ potentia queat simul esse in cœlo, & in cœna, quæ in terra peragitur, pugnant inter se, vt quæ maxime. Fieri quidẽ potest, et factũ quoq; est, vt Christus inanitione seu dispensatione in vno certo loco circũscribatur, ac interim omnia maiestate impleat. Maiestate autem omnia implere, eademq; maiestate in vno tantùm certo loco contineri, hoc demũ natura rerum ferre non potest. Quare Bullingerus manifestã patitur vertiginẽ, quòd susceperit in vocabulũ dextræ Dei, in eodem dicto, pugnantia significata introducere.

Est & illud manifestum vertiginis exemplũ, quòd ex dextra Dei patris et filij faciat eandẽ dextrã, hoc est, locũ beatitudinis. Hac enim ratione fit, vt cum sentit, docet, vrget, locũ beatitudinis Christi esse suis spacijs circũscriptũ, in quo sedeat aut deambulet, definiat etiã Dño Deo patri cœlesti certũ & circumscriptũ locũ, in quo sedeat aut deambulet. Qua sententia, quid potest dici absurdius, & magis impium? Etsi enim, si nomine dextræ Dei intelligitur omnipotentia & beatitudo, eadẽ est dextra Dei patris & filij, tamen, si eo nomine locũ intellexeris, & dederis Christo locũ circumscriptũ, qui sit superficies corporis cõtinentis, in quo moue atur physicè de loco in locũ, extrema est impietas, Deũ ipsum patrẽ, in talẽ locũ includere, & ei locales motiones tribuere. Quod aũt ad veteres scriptores ecclesiasticos attinet, quos aduersari' vociferat testificari, dextrã Dei etiã accipere pro certo beatitudinis loco, dixi sæpenumero meam sententiam. Defero caniciei eorũ officium, quod debeo, laudo studiũ eorũ, quòd in illustranda

ſtranda verè pia doctrina collocarunt. Gratias ago Deo, pro donis in ipſos collatis, & vtor libenter atq; gratanter laboribus eorum. Nec ſum, diuino beneficio, tam alienus (vt puto) ab omni humanitate, vt ſi quas habent imbecillitates, non boni conſulam, ac etiã ſi honeſtè & pie fieri poteſt, non excuſem. Sed quia non habent ſummam in eccleſia authoritatem, non eſt mihi integrum, vt ad defendendas eorum ſententias, ſine diſcrimine, odioſum in eccleſia certamen aduerſus rixatores & ſycophantas ſuſcipiam. Habeo aperta, certa, firma, & indubitata teſtimonia ſcripturæ, Prophetarum & Apoſtolorum (qui ſunt patres eccleſiæ longè omnium vetuſtiſsimi) quibus manifeſtè oſtendi & probaui, quòd Chriſtum humanitate ſua ſedere ad dextram Dei patris omnipotentis, ſit, habere omnem poteſtatem in cœlo et in terra, collocatũ eſſe ſupra omnem principatum, & dominationem, adeoq; ſupra omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, verùm etiam in futuro: vt & omnia in omnibus adimpleat, & in nomine eius omne genu coràm in præſentia & conſpectu eius ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: ideoq; fieri non poſſe, vt maieſtate ſua, in vnum certum, ſiue fœlicitatis, ſiue infœlicitatis locum ita includatur & circumſcribatur, vt non queat ſimul in alijs etiam locis eſſe, & omnia coràm gubernare. Hanc ſententiam, quæ non eſt à me conficta, ſed eſt ſententia ſacræ ſcripturæ, & Spiritus ſancti, ſi veteres patres, ſiue maiorum, ſiue minorum gentium, probant, amplectuntur, & ſequuntur, laudamus,

mus & assentimur. Si verò diuersam, & ab hac alienam, atq; cum ipsa pugnantem sequuntur, non potest Bullingerus ipse ignorare, quòd hac in parte nostrum sit officium. Operæpræcium autem iudico, lectorem iterum de vero huius controuersiæ statu admonere. Video enim aduersarium tergiuersari, & vocabulorum amphibolia ludere, vt lector à principali statu abducatur. Controuersia initiò exorta est, de vera & suhstantiali præsentia & distributione corporis & sanguinis Christi in cœna dominica. Hîc Cingliani, præter alia obiecta, oppugnarunt hanc veram præsentiam (quam nos autoritate verbi Dei defendimus) argumentis ductis ab ascensu Christi in cœlum, & sessione eius ad dextram Dei patris omnipotentis. Necessarium igitur erat, vt hi articuli rectè & piè iuxta Prophetica & Apostolica scripta explicarentur. Itaq; illi contendunt, esse cœlum quoddam corporeum, supra omnes hos cœlos visibiles positum, quod sit regio latissima, localibus suis spacijs & corporalibus mansionibus ita instructa, vt Christus in ijs localiter commoretur, & pro suo arbitrio, nunc sedeat, nunc stet, nunc deambulet. Nec id solùm, verùm etiam in hoc cœlo ita contineatur, vt nulla potentia, ne diuina quidē omnipotentia possit corpore suo simul esse in cœlo, & in cœna.

Hîc iam ostendendum erat. Primùm. Num esset tale cœlum, in rerū natura, quod alij vocarunt Empyreum. Deinde, num hic articulus: Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, significa-

ret, Christum ita esse in cœlo, et ad dextram Dei patris, vt contineretur in certo loco circumscriptus, & non posset vllo modo, verè & substantialiter simul esse in cœlo & in cœna. Non controuertitur de illo: Num sit aliquis beatitudinis locus: & num Christus sit in eo, vnà cum Sanctis suis beatus? Quis enim in vera Dei ecclesia de hoc vnquam dubitauit? Sed de hoc controuertitur. Num beatitudinis locus sit talis, TALIS (inquam) qualem eum describunt Cingliani, videlicet, superficies corporis continentis, qua Christus cum corpore suo ita contineatur, vt in eo corporaliter sedeat, stet aut ambulet: nec possit vlla potentia simul esse in eo loco, & in alijs locis, in cœlo & in terra, ac inprimis in cœna? Nam si quidem nomen LOCI acceperis translaticiè, pro spirituali & cœlesti receptaculo, quod omnem humanũ captum excedit, & quod Christo suam maiestatem, in qua est collocatus, non adimit, rectè, verè, & piè dicitur, Christum esse in suo beatitudinis loco (hoc est) in cœlo, in domo patris, ad dextram Dei, in throno & sede Dei patris omnipotentis: & cò quoque suos, iuxta suum modum, euehere Sanctos. Hoc, cùm in priori scripto expresse, & clarè docuissem, Bullingerus & gregales eius tanta impietate & blasphemia excipiunt, vt non vereantur palam dicere, me Christum & Sanctos suos relegasse ad Vtopiam, in qua hospites excipit ὄστιος, quemadmodum suprà dictum est. Itaque his sycophantis Deus pater est ὄστιος, & domus, dextra & thronus eius est Vtopia; sed Deus audit & iudicabit. Si verò nomen

loci

loci acceperis pro ſuperficie corporis continentis, ſiue corruptibilis, ſiue incorruptibilis: & pro cœlo illo fictitio ſeu Empyreo, in quo Chriſtus cum corpore ſuo ita circumſcribatur, vt corporaliter in eo ſedeat, aut ambulet: nec poſsit vlla potentia ſimul eſſe in cœlo, & in cœna, quemadmodum Bullingerus & gregales eius ſentiunt & propugnant, falſum, falſum, inquam, imò falſiſsimum eſt, quòd vel ſacra ſcriptura, vel orthodoxi patres docuerint, Chriſtū hoc modo eſſe in cœlo, in loco, & in beatitudine. Ergo nuſq̄, inquies, erit? Quid? Nuſq̄ ne eſt, qui eſt apud Deum, in domo Dei, in dextra Dei, in throno dei? Num Deus tibi nihil eſt? num domus, num thronus, num dextra Dei nihil ſunt? ſic ſentiunt omnes impij. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Quare, cùm Bullingerus adhuc, hodieq; contendit, & pugnat, Chriſtum neceſſe habere cum corpore ſuo aut in vno tantùm loco eſſe, aut, ſi hoc negetur, omnino non eſſe, etiamſi fuerit apud Deum patrem, in domo, in dextra, in throno Dei patris, contendit etiam & pugnat, Chriſtum in altero ſeculo, & in maieſtate ſua in vnum locum ita includi, vt corpore & ſanguine ſuo, ne quidem per omnipotentiam Dei, poſsit ſimul in cœlo, & in cœna eſſe, facilè iudicare ipſe poteſt, in quorum catalogo ſit collocandus, & quid de religione eius ſit ſentiendum. Nam, quòd dicto Auguſtini: Tolle corporibus ſpacia locorum, &c. adhuc, poſt tam dilucidam eius explicationem delectatur, mirandum non eſt. Non enim aliud reliquum habet ſomniorum

ſuorum adiumentum, ſed benè habet. Etiamſi conatur Auguſtinum in ſua caſtra violenter pertrahere, tamen Auguſtinus ipſe renititur: Miraculum, inquiens, eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in carne vera intrauerit ad Apoſtolos per oſtia clauſa. Dicis mihi. Si per oſtia clauſa Chriſtus intrauit, vbi eſt corporis pondus? Recedant pauliſper pondus et moles. Ille hæc facit, cui nihil eſt impoſsibile. Hæc ille. Sentit igitur Auguſtinus, aliam eſſe conditionem corporis phyſicam, aliam hyperphyſicam: ac illam quidē in hoc mundo, pro modo eius, circumſcriptam eſſe: hanc autem non tollere veram corporis eſſentiam, etiamſi non fuerit in loco localiter. Nec mirū eſt, quòd hoc dictū Auguſtini nō fuerit ab annis 1200. (vt Bullingerus putat) in eccleſia impugnatū. Primùm enim pij noſtri maiores, nō fuerunt ſycophantæ, quales ſunt magna pars Cinglianorum, ſed ea fuerunt honeſtate, & erga authoritatem veterum obſeruantia, vt ad obſcurè & ambiguè corū dicta libenter conniuerēt, ac in meliorem, aut ſaltem tolerabiliorem partem interpretarentur. Deinde viderunt Auguſtinū ex hoc ſuo dicto nō deducere tam abſurda et tam impia, q̄ Cinglia-ni facere ſolent. Cingliani, occaſione ex hoc Auguſtini dicto accepta, conantur verā præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti è cœna ꝓturbare. Hoc Auguſtinus nō fecit: Accipite (inquiēs) in pane, quod pepēdit in cruce. Et hoc accipite in calice, quod effuſum eſt de latere Chriſti. Cingliani ex hoc dicto deducūt, quòd corpus Chriſti, ne quidē per omnipotentiā Dei poſsit

in

in pluribus ſimul locis eſſe, aut nō eſſe in loco localiter. Hoc Auguſtinus nō fecit, Sed ait: Recedāt pauliſper pondus & moles. Ille hæc facit, cui nihil eſt impoſsibile. Quare, cum pij noſtri maiores viderint Auguſtinum hoc ſuo dicto nō abuti ad abſurda & impia, reliquerunt ei facilè in ſuo gradu locum. Alia eſt Cinglianorum ratio. Hi cum abutātur dicto Auguſtini, contra ſententiam Auguſtini, repudiatur à nobis, non Auguſtinus, ſed Cinglianorum figmentum, quod nobis prætextu autoritatis Auguſtini obtrudunt. Sed age, cogant omnino Auguſtinum à parte ſua ſtare, certè noſtra ſententia, qua Chriſtus, cum corpore ſuo, ſupra omnes cœlos, & extra hunc mundū, ſupra omnia loca exaltatur, vt tamē omnia tam ſupera quàm infera, pro ratione dextræ Dei impleat, & gubernet, longè vetuſtior eſt, & Eccleſiæ per Apoſtolica ſcripta ante annos 1500. quod tempus trecentis annis, illos à Bullingero numeratos ſuperat. Quare, ſi rerum æſtimatio facienda eſt ab annis, ſententia Auguſtini, aut potius Cinglianorum, noſtræ meritò cedere debet. Iam nec illud ſilentio eſt prætereundū, quod Bullingerus ſcribit: Nec pudebit, inquiens, nec pigebit me loqui cum ſcriptura. Quid ergo? Num exiſtimat hac profeſsione ſe à ſuis erroribus & impietatibus tutum aut excuſatum? Nō ſufficit cum ſcriptura loqui. Nam & Satan aliquoties cum ſcriptura loquitur: ſed exigitur vt etiam cum ſcriptura rectè & piè ſentias. De intelligentia, inquit Hilarius, non de ſcriptura hæreſis eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen. Cum igitur Bul

lingerus in ſuis erroribus non ſentiat cum ſcriptura, vanum eſt, quòd glorietur, ſe cum ſcriptura loqui.

Sed pene præterierã, quod in tractatione de dextra Dei, mihi de extremo iudicio obiecit. Cum enim in priori ſcripto explicarem, quod apud Matthæum, de aduentu Chriſti in nouiſsimo die ad iudicandos viuos ac mortuos, extat, dixi: Exiſtimas ne, in extremo iudicio, quod eſt futurum perpetuum, nec vllum vnquã habebit finem, tam craſſum fore ſpectaculum, vt inſtituatur externum tribunal, &c. Et mox: Nam quod ad iudicium attinet, mutuata quidem ſunt verba deſcriptionis eius ab humana conſuetudine: ſed reuera erit cœleſte & perpetuum, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. His verbis non nego, Chriſtum appariturum in nubibus, & iudicaturum orbem terrarum, quemadmodum & eo loco, & aliàs clarè teſtatus ſum. Nec ignoro, quod Paulus ſcribit, DOMINVM deſcenſurum de cœlo cum hortatu, voce archangeli, ac tuba Dei: & mortuos in Chriſto reſurrecturos primùm: deinde nos reliquos, rapiendos cum illis in nubibus in occurſum DOMINI in aëra, & ſic ſemper cum DOMINO futuros. Hæc omnia ſunt veriſsima & certiſsima: nec illud dubium eſt, quin Chriſtus appariturus ſit in nubibus certo ſuo tẽpore, & loco. Sed hoc reprehendendum duxeram, quod Theodoretus & alij videbantur ex dicto Matthæi, de agnis à dextris, & hœdis à ſiniſtris, arguere, Chriſtum non ſolum eo tempore quo appariturus eſt in nubibus, loco circumſcriptum, verumetiam perpetuò, in ſumma ſua maieſtate,

ſtate, certo loco continendum. Sonabit enim tuba de cœlo, apparebit Chriſtus in nube, reſurgent mortui è monumentis, iudicabuntur omnes homines, & condemnatis impijs, rapientur pij in aëra in occurſum Chriſti. Nunquid autem hoc extremi iudicij ſpectaculum futurum eſt tam craſſum, quàm ſunt forenſia iudicia in hoc ſeculo? Putas ne, & tribunalia Chriſto ac Apoſtolis in ampliſsimo quodam terræ palatio inſtituenda, & tempus ita trahendum, vt ſingulorum hominum actiones, ſecundum omnes circumſtantias, de hora in horam, de die in diem, de anno in annum cognoſcantur? Hæ ſunt cogitationes carnaliſsimæ. Etſi enim Chriſtus ſuo tempore & loco apparebit, tamen quæ de reſurrectione mortuorum, de immutatione viuorum, & de pronuncianda ſententia inter pios & impios, deſcribuntur, non fient tardo temporis proceſſu, ſed fient, ſicut Paulus ait, in puncto tẽporis, & in ictu oculi: ac abſumpto hoc mundo vnà cum temporibus & locis ſuis, ſententia iudicij ſonabit perpetuò in auribus piorum & impiorum: vt illi quidem ſempiterna lætitia ex hac voce: Venite benedicti patris, fruantur: hi autem ſempiterno ſupplicio, ex hac voce: Ite maledicti, afficiantur. Hoc illud eſt, quod dicebam, iudicium fore perpetuum, nec vllum habiturum finem, nec poſſe in hoc quidem ſeculo, vlla humana ratione comprehendi, aut vllis verbis ſatis explicari, quomodo hæc fiant: Non ſentio ſpectaculũ illud externum apparitionis Chriſti,

Christi, & processionis piorum in occursum DOMINI perpetuũ fore. Nec enim Christus cum suis hærebit in nubibus, quæ præteribũt, & vnà cum mundo exurentur: sed conferet se, vt ita dicam, in summam suam & cœlestem maiestatem, in qua perpetuò fruetur, absq; corporali loco & tempore, vnà cum electis suis, omni fœlicitate. Hæc mea est de extremo iudicio sententia, quæ & habet manifesta cœlestium oraculorum testimonia. Quid autem Bullingerus? Etsi aliquid de mea sententia assequitur, & videt eam non esse impiam. Dicit enim: Nisi fortè intellexerit (Brentius) supplicium, quod sumet de impijs sine fine DOMINVS; tamen tanta est in eo libido calumniandi, & maledicendi, vt palàm vociferetur, hoc esse falsissimum, & pugnare cum scripturis, & sensu catholico omnium fidelium. At enim mea de extremo iudicio sententia, sicut eam exposui, non est falsissima. Falsissimum autem est figmentum, quod mihi imputat: falsissimum est, quod expenit dextram Dei patris in hoc articulo: Sedet ad dextram Dei, significare certum in cœlo locum: falsissimum est, quod somniat, Christum commorari in cœlo illo corporeo, seu Empyreo, cui ita sit affixus, vt corpus eius, ne quidem omnipotentia Dei queat simul esse in cœlo, & in cœna: falsissimũ est, quòd corpus Christi & alia sanctorum corpora, spiritualia & glorificata, non possint manere salua, nisi fuerint in loco, seu superficie corporis continentis. Relinquamus igitur hominem suo ingenio, siquidem eo ita delectatur, vt nullam non captet occasionem calumniandi,

calumniandi, & rectè dicta inuertendi. Nos autem expectemus DOMINVM ſaluatorem noſtrum, de cœlis obedienter, vt liberet nos ab his & alijs Satanæ morſibus, ac reddat nos ſuæ fœlicitatis in cœleſti & perpetuo ſuo regno, participes. Cæterum, vt manifeſtè cognoſcamus, quo ſpiritu Bullingerus agitetur, concludit hanc partem Capite, de viſionibus Stephani, & Pauli, pleno mendacijs & calumnijs. Initio dicit, quòd ea, quæ in reſponſione ſua diſſeruerit de viſione beati Martyris Stephani, non attigerim in meo libro: ſed tantùm dixerim fuiſſe œconomiam, &c. Hoc eſt purum putum mendacium. In eo enim libro, cuius mentionẽ facit, non ſemel ſed bis repeto, & expono viſionem Stephani. Primùm quidem paucis, quæ & aduerſarius commemorat: deinde copiosè, in dialogo, quem inſtituo inter Cyrillum & Theodoretum. Nec pigebit huc in præſentia referre, vt quò manifeſtior fit vanitas Bullingeri, eò diligentius ſibi boni quiq; ab erroribus & impietatibus eius caueant. Poſtquam enim recitaſſem verba Theodoreti, dicentis: Audiui præclarum victorem Stephanum dicentem: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantẽ à dextris Dei. Vidit autem eam, quæ videtur, naturam, non quæ ſub aſpectum nõ cadit, &c. Continuò ſubiungo. Iterum mihi non commemoras niſi exemplum apparitionis IN HOC ſeculo. Quid enim? Num quia Stephanus vidit ſemel in ſua paſsione cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, idcirco cœli ſunt reipſa diſſiſi, & Ieſus ſemper in regno cœleſti, & in æterna

m ſua

ſua maieſtate ſtat aut ſedet localiter ad dextram Dei? Vidit etiam Ezechiel cœlos apertos, vidit animalia & rotas, vidit etiam ſpeciem electri, quæ erat viſio ſimilitudinis gloriæ Dei. Num talis eſt gloria Dei, in regno & maieſtate cœleſti? Nihil certè minus. Qualiſcunq; tantùm adumbratio fuit, non plena demonſtratio vniuerſæ maieſtatis Dei. Sic & apparitio Chriſti ſtantis ad dextram Dei, Stephano facta, non fuit perfecta totius maieſtatis Chriſti reuelatio: nec ſignificauit Ieſum humano more ad corporalem Dei dextram, in cœleſti regno, & in ſumma ſua maieſtate localiter ſtare, ſed fuit viſio, quæ Stephano ad captum ſuum eatenus patefacta eſt, quatenus ex ea in extremis ſuis periculis, conſolationem caperet. Deus enim pater non habet dextram corpoream, niſi fingas Deum ipſum corporeum. Nec dextra eius eſt locus corporeus, ſed eſt ſumma & omnipotens maieſtas eius, ad quam Chriſtus idcirco conſediſſe dicitur, quòd ad eam ita ſit elatus, vt eandem cum Deo patre omnipotentiam & maieſtatem poſsideat, quemadmodum aliàs copioſè demonſtratum eſt. Quare, cum apparet Stephano ſtans à dextris Dei, non teſtificatur, ſe hoc ſemper habitu & forma, in cœleſti regno, in ſumma ſua maieſtate localiter & circumſcriptiuè verſari, ſed teſtificatur Stephano, hac qualiscunq; externa viſione (qua ſic apparuit, vt humana Stephani natura in hoc ſeculo ferre potuit) ſe cõſeruaturum ipſum in media morte, & iudicaturũ ſuo tempore aduerſarios. Hactenus in priori ſcripto. Quid ergo?

ergo? Num hoc est non attingere nec respondere? Doceo, ex apparitione Christi Stephano exhibita, nõ posse probari (quod Theodoretus arbitrabatur) Christum in cœlesti suo regno & in propria sua maiestate, esse certo loco circumscriptum, nisi dispensatione seipsum in hoc mũdo visendũ præbeat, idq; doceo euidentibus argumẽtis. Primùm, quòd hæc apparitio nõ fuerit plena vniuersæ maiestatis Christi in regno suo, ostensio, non fuit, inquam, perfecta totius maiestatis Christi reuelatio. Hoc adeò manifestum est, vt nulla indigeat probatione. Quòd si quis autem tam impudens fuerit, vt id neget, apertè cõuincitur ex eo, quòd humanus captus in hac vita imbecillior sit, quàm qui Christum in vera sua maiestate apprehendere queat. Videmus nunc, inquit Apostolus, per speculum in ænigmate. Et si tres Apostoli vix potuerunt in monte Itabyrio aliquantã Christi maiestatem ferre, quomodo Stephanus adhuc in hac vita existens, plenã & absolutam Christi in cœlo maiestatẽ oculis suis corporalibus vidisset? Deindè, si ea, quæ in cœlestib. visionibus ostenduntur, sic in regno cœlesti geruntur, quẽadmodum hominib. in terra apparent, erunt certè & bestiæ & rotæ in cœlo. Talem enim visionẽ habuit Ezechiel, cuius exemplum tum recitaui. Et in præsentia addo visionẽ Petri, in actis Apostolicis. Vidit (inquit Lucas) cœlum appertũ, & descendens vas quoddã velut linteum magnum, quatuor initijs, submitti de cœlo in terrã, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæq; & reptilia & volatilia cœli. Quid? Sunt ne in cœlo

animalia quadrupedia, bestiæ, reptilia & volatilia? Si res ita in cœlo geruntur, sicut in visionibus ostenduntur, necesse habebis hoc fateri. Quid autem absurdius dici potest? Ad hæc, Deus pater non habet corporalem dextrã, ad quam Christus humano more, quemadmodũ se Stephano in visione exhibuerat, adstaret. His argumentis palàm ostendi, quòd ex visione Stephani non possit probari, Christum, localiter in cœlo, iuxta humanũ modũ in sumã sua maiestate stare. Etsi tam crassæ sunt in cœlesti regno & in sumã maiestate actiones, quando obsecro Christus à sessione sua surrexisset? Cum Apostolus ad Hebræos testificetur, eum PERPETVO sedere. Sedet, inquiens, ad dextram Dei, εἰς τὸ διηνεκὲς, in perpetuũ, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Miror autem, imò non miror, sed vetus (hoc est) varium & mutabile ingenium Bullingeri agnosco, quòd nunc quidem contendat visionem Stephani fuisse externam & corporalem, ex qua circũscriptio corporis Christi in cœlo, & corporalis eius statio probetur: antè autem in explicatione Actorum Apostolicorũ, senserit esse visionẽ internã, seu, vt vocant, mentalem (id quod etiã cum multis alijs scriptoribus tam veteribus, quàm recẽtioribus cõmune habet) Etiamsi, inquiens, ista corporaliter gesta videri poterant, ipse tamen fidei sensus flagitat, quòd talis omnino fuerit visio, qualem DOMINVS Esaiæ exhibuit, Esaiæ 6. Sed & ipse locus, in quo agebantur causæ, nimirum, obseptus & conclusus vndiq;, denicq; ipsa fidei virtus, & quod hìc nulla est necessitas videndi

corpus

corpus Domini corporaliter, ſuadent, hanc non eſſe rem geſtam, ſed viſionem, vt aiunt, mentalem. Hæc ille. Addit quidē: Quanquam (inquiens) non magnopere ſuper hac re contenderim. Sed vides hominis cōſtantiam, ſcilicet, & fidei eius firmitatem. Tunc enim cùm ſcriberet commentarios in Acta Apoſtolica, nō magnopere contendebat de eo, quòd ſenſus & virtus, vtipſe loquitur, fidei ſuadebat, & flagitabat. Nunc autem eo ipſo dū tuetur ſententiā Theodoreti, magnopere contendit viſionē Stephani ſic verè eſſe rem geſtam, vt ex ipſo probetur, Chriſtum corpore ſuo in cœleſti regno eſſe certo loco circumſcriptum. Quid? deficiendum ne eſt tam facilè ab eo, quod ſenſus & virtus fidei ſuadet, adeoq; flagitat? Habes ergò quàm firmis fundamentis nitatur ſenſus & virtus fidei Bullingeri. Hoc enim illud eſt, quod Paulus ait: Quouis vento circumferri.

Porrò occaſione viſionis Stephani dilabitur ad vexandam, &, ſi poſſet, conuellendam œconomiam, ſeu diſpenſationem, quæ eſt in doctrina eccleſiæ vſitatiſſima. Et quanquam fatetur ipſe, veteres hoc vocabulo vſos, nec ſe poſſe, ſi ſanus fuerit eius intellectus, reprehendere ac reijcere, tamen tanto ſtudio rixandi, & rectè dicta peruertendi tenetur, vt affingat & impingat mihi mendaciſsimè (idq; illo conſilio, vt videatur iuſtam habere cauſam in me debacchandi) horrenda quædam dogmata, quæ nugatur ex mea, de diſpenſatione doctrina, conſequi. Inſpiciamus igitur, quod de œconomia ſeu diſpenſatione ſcripſi. Initio nomen diſ-

pensationis exposui descriptione, quam & aduersarius ipse recitat quidem, & allatrat, non potest autem eam falsitatis conuincere. Dispensationem enim voco, cùm aliquid de ordinario iure relaxatur. Quid? Num hoc falsum est? Atqui si hoc dixeris, argueris vanitatis tam à foro (vt illi loquuntur) quàm à choro. In administratione enim vel ecclesiæ, vel politiæ, vel œconomiæ, tanta est rerum & casuum varietas, vt non sit ferè lex aut regula, quæ non suas habeat exceptiones, quas vsus solet vocare dispensationes, aut de ordinario iure relaxationes. Vnde & de ijs, qui literam legis aut regulæ, duriter & seueriter, nulla æquitatis ratione habita, exigunt, natum est prouerbium. Summum ius, summa iniuria. Panibus propositionis, iuxta Leuiticam regulam, nõ licebat vesci, nisi solis sacerdotibus. Et tamen dispensabatur de hac regula, cum Dauide fame exhausto. Comedere agnum paschalem, non licebat, iuxta regulam, nisi sanctificatis. Sed Ezechias admittebat, propter probabilem causam, ad hunc esum, etiam non sanctificatos: hoc est de ordinario iure relaxare. Quid multis opus? Si Bullingerus negat talem œconomiæ dispensationis aut relaxationis rationem, non est in hominum contubernio retinendus, sed ad suam Vtopiam deportandus. Deindè descendens à genere ad speciem, addo, Oeconomia, inquiens, est, cùm Christus aliquid agit, aut apparet, non pro sua maiestate, sed pro nostro captu, & ad nostram vtilitatem.

2. Par. 30.

Quid?

Quid? dices ne & hoc falsum? Nihil ne egit Christus pro nostro captu, et non pro sua maiestate? Nunquam apparuit Christus in infirmitate, & non in maiestate? Potuisset loqui lingua angelica aut cœlesti, locutus est autem lingua humana. Hæccine est maiestas, & non potius infirmitatis assumptio? Iacuit infans in præsepi, esurijt, sitijt, defatigatus est. Dices ne hanc esse maiestatem, & non potius infirmitatis propter nostram salutem, assumptionem? Hanc & veteres & nos quoq; vocamus œconomiam, seu dispensationem.

Sed referam ea exempla, quæ aduersarius ipse, ex nostro scripto commemorat. Cùm Christus resurrexisset ex mortuis & quæreretur à mulierculis in sepulchro, dixit angelus: Surrexit, non est hîc. Verè dictum, non autem iuxta maiestatem, sed iuxta œconomiam. Cædo Cingliane, num hoc falsum? num condemnandum? Sequitur etiam in meo scripto explicatio, quam aduersarius fortiter transilit. Dico enim. Non erat in sepulchro mortuus, qualem mulierculæ quærebant. Non erat in sepulchro iuxta externum aspectum. Erat autem non in sepulchro tantũ, verùm etiã in cœlo & in terra, iuxta diuinitatis suæ maiestatem. Voco aũt in præsentia (sicut & suis locis suprà) diuinitatẽ Christi, non eã quã filius Dei in se ab æterno habuit, sed quã tempore incarnationis filio hominis cõmunicauit, & vt Augustini verbo vtar, participauit, &c. Hęc tum scribebam. Si ergo, Bullingere, male

malè ſcripſi, teſtimoniū perhibe de malo. Proba quòd Chriſtus tum, cùm quæreretur à mulierculis, fuerit in ſepulchro mortuus, & iuxta externum aſpectum: & non affuerit ibi iuxta communicatam ſibi diuinitatis maieſtatem. Si autē bene ſcripſi, quid me cædis? quid tam furenter in me bacchāris? Addo etiam exemplum Thomæ. Apparuit, inquiens, Thomæ, & reliquis diſcipulis, notatus cicatricibus in manibus, latere & pedibus, & aliàs alia forma, & habitu. Quid? Num talis eſt in regno patris ſui, in quod reſurrectione ſua intrauerat, ſeu ſe intraſſe teſtificatꝰ erat? Nihil minus. Apparet talis, iuxta œconomiam, qui iuxta maieſtatem ſuam nullo humano oculo erat comprehenſibilis. Hæc ibi. Quid? argues ne & hæc mendacij? & ſenties Chriſtum recepiſſe coram Thoma & alijs Apoſtolis cicatrices, non iuxta œconomiam, ſed retinere adhuc in cœleſtis regni ſui maieſtate? Sed viciſsim arguet te vanitatis, non ſolùm conditio corporis ſpiritualis, ac in primis corporis Chriſti in ſua gloria, verumetiam authoritas veterum ſcriptorum, præcipuè Cyrilli, qui ſcribit, Chriſtum apparuiſſe cicatricibus notatum, Thomæ & reliquis Apoſtolis, non in debita corporis ſui gloria, quam non potuiſſent ferre, ſed diſpenſationis gratia, ne aliud corpus, quàm quòd crucifixum & mortuum fuit, reſurrexiſſe putaretur. Etſi enim ſunt, qui ſentiunt, Chriſtum adhuc hodieq; in maieſtate regni ſui ſeruare has cicatricum notas, tamen, vt verum fatemur, quòd Chriſtus iterum ſit cum notis paſsionis ſuæ in nouiſsimo die appariturus, diſ-

penſatio-

diſpenſationis gratia, videlicet vt impij videant, in quem compunxerunt, ita quòd dicitur, Chriſtum eas notas ſemper in ſua maieſtate retinere, ſuis authoribus relinquitur. Illud autem certiſsimum eſt, quòd ſicut Chriſtus à reſurrectione edit & bibit, ſic etiam oſtentauit notas cicatricum, non neceſsitate ſuæ conditionis, ſed voluntate diſpenſationis, qua viſum eſt veritatẽ tam corporis q̃ reſurrectionis ſuæ teſtificari. Tantam curam, inquit Cyrillus, habuit Chriſtus, vt ſuſcitatio carnis ſuæ crederetur: quòd quamuis tempus iam eſſet, in quo ineffabili gloria corpus ſuum apparere deberet, apparuit tamen per DISPENSATIONEM quale prius, ne aliud corpus eſſe videretur, q̃ quod de ligno pependit. Quod enim oculis hominum, gloria illius corporis (ſi explicare ipſam Chriſtus voluiſſet) cerni non poterat, facilè intelliges, ſi transfigurationis ſuæ non es oblitus, quãdo (vt ſcribit Matthæus) facies eius rutilauit, vt fulgor, et veſtes eius albæ, vt nix apparuerunt, quæ Petrus, Iacobus, Ioannes videre non ferentes, in terram ceciderunt, &c. Hæc ille. Et Auguſtinus Epiſt. 49. ad Deo gratias. Tunc aũt illæ falſæ cicatrices fuiſſent, ſi nulla vulnera præceſsiſſent: & tamen nec ipſę eſſent, ſi eas eſſe noluiſſet. Voluit aũt certæ DISPENSATIONIS gratia, vt eis, quos ędificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, ſed hoc quod crucifixum viderant, reſurrexiſſe, monſtraret. Tranſeamus autem ad apparitionem Stephano poſt aſcenſum in cœlum factam. De hac ſcribit aduerſarius. Non poſſum, inquiens, approbare, quod ait (Brentius) Chriſtũ

in cœlo non eam ſemper retinere formam, quam tunc habuit, quando viſibiliter in cœlum aſcendit, & quando ſe Stephano viſendũ cœlitus exhibuit. Negat ergò Bullingerus hãc apparitionem eſſe diſpenſationẽ (hoc eſt) ſpectaculum ad tempus tantùm, in conſolationem Stephani in extremis ſuis periculis, aſſumptũ: ſed eſſe ſpectaculũ perpetuò in cœleſti regno & maieſtate durans: vt quali forma Chriſtus, ſtans à dextris Dei, apparuit ſemel Stephano, tali forma ſemper exiſtat & appareat in ſumma ſua maieſtate, corã omni cœleſti eccleſia. Sed & aliàs affirmat Bullingerus, Chriſtũ in gloria ſua retinere formã humani corporis. Hîc ergò, priuſq; ꝓgrediamur, de vocabulo formæ dicendum erit. Cingliani enim, vt incautũ lectorem fallãt, libenter ſolent vti ambiguis et flexiloquis vocabulis. Nã ſi formę nomine intelligĩt ipſa rei ſubſtantia ſeu eſſentia, fatemur & ipſi, Chriſtũ ſemp retinuiſſe formã ſeu veritatẽ humani corporis. In conceptu, verũ hominẽ, qui ex vera anima et vero corpore cõſtat, aſſumpſit. Cùm ambulauit in mari, cùm transfiguratus eſt in mõte, cùm mortuus eſt in cruce, et ſepultus, cùm reſurrexit à mortuis, cùm aſcẽdit in cœlũ, et ſedet ad dextrã Dei patris omnipotentis, ſemp retinuit & adhuc retinet verã formã (hoc eſt) eſſentiã, ſubſtantiã, ſeu veritatẽ humani corporis, nec vnq̃ eam abiĳciet, aut in ſpiritum mutabit. Quod ſi Bullingerus de hac forma loquit̃, quid ęſtuat? qui cum pugnat? quis noſtrũ vnq̃ dixit, aut ſenſit, Chriſtũ non ſurrexiſſe eo planè corpore (quod ad formã, vt ſcholæ loquuntur, eſſentialẽ attinet) quo ſepultus

tus est? In incarnatione enim Christus, nō sic assumpsit humanū corpus, quēadmodū angeli, cū in hoc mundo apparent, corpora ad tempus assumere solent: sed assumpsit verū & substantiale corpus hominis, quod vtin trāsfiguratione & in morte verū mansit corpus, ita et adhuc in dextra Dei patris verū corpus pmanet. Si aūt formæ nomine intelligit externa figura, externa species, externꝰ habitus, et si qua sunt alia id genus inhęrentia, falsum est, quòd Christus tali corpore resurrexerit, & in cœlos ascēderit, ac à dextris Dei sedeat, quale positū est in monumento. Positū est in monumento mortuū, resurrexit viuū. Positū est in monumento humile, et abiectū, resurrexit cœlesti gloria illustratū. Positū est in monumento imbecille et impotens, iuxta externā figurā, resurrexit, & sedet ad dextrā Dei omnipotens. Quare si Bullingerus, iuxta hanc formæ significationē, negauerit, apparitionē Christi Stephano factā, esse œconomiā, seu dispensationē, & contenderit Christū eandē semp formā in cœlo, ad dextrā Dei retinere, quā tūc habuit, quādo visibiliter in cœlū ascendit, & quando se Stephano visendū de cœlo exhibuit, nihil, pfecto absurdius, nihil à veritate abhorrentius dici aut existimari potest. Nō est dubiū, quin cū Christus ascensurus in cœlū, accesit in monte Oliueti, ad suos discipulos, nō accesserit nudus, sed suo habitu seu tunica, aut pallio, p more gentis vestitus, sicut et antea post resurrectionē apparuit, nō nudus, sed veste indutus. Alioqui .n. quomodo potuisset vt hortulanus, vt peregrinus internosci? Deinde non est dubium, quin eodē habitu, quo in mōte Oliueti apparuit, ascenderit

in cœlo non eam ſemper retinere formam, quam tunc habuit, quando viſibiliter in cœlum aſcendit, & quando ſe Stephano viſendũ cœlitus exhibuit. Negat ergò Bullingerus hãc apparitionem eſſe diſpenſationẽ (hoc eſt) ſpectaculum ad tempus tantùm, in conſolationem Stephani in extremis ſuis periculis, aſſumptũ: ſed eſſe ſpectaculũ perpetuò in cœleſti regno & maieſtate durans: vt quali forma Chriſtus, ſtans à dextris Dei, apparuit ſemel Stephano, tali forma ſemper exiſtat & appareat in ſumma ſua maieſtate, corã omni cœleſti eccleſia. Sed & aliàs affirmat Bullingerus, Chriſtũ in gloria ſua retinere formã humani corporis. Hîc ergò, priuſq; pgrediamur, de vocabulo formæ dicendum erit. Cingliani enim, vt incautũ lectorem fallãt, libenter ſolent vti ambiguis et flexiloquis vocabulis. Nã ſi formę nomine intelligĩt ipſa rei ſubſtantia ſeu eſſentia, fatemur & ipſi, Chriſtũ ſemp retinuiſſe formã ſeu veritatẽ humani corporis. In conceptu, verũ hominẽ, qui ex vera anima et vero corpore cõſtat, aſſumpſit. Cùm ambulauit in mari, cùm transfiguratus eſt in mõte, cùm mortuus eſt in cruce, et ſepultus, cùm reſurrexit à mortuis, cùm aſcẽdit in cœlũ, et ſedet ad dextrã Dei patris omnipotentis, ſemp retinuit & adhuc retinet verã formã (hoc eſt) eſſentiã, ſubſtantiã, ſeu veritatẽ humani corporis, nec vnq̃ eam abĵciet, aut in ſpiritum mutabit. Quod ſi Bullingerus de hac forma loquit, quid ęſtuat? qui cum pugnat? quis noſtrũ vnq̃ dixit, aut ſenſit, Chriſtũ non ſurrexiſſe eo planè corpore (quod ad formã, vt ſcholæ loquuntur, eſſentialẽ attinet) quo ſepultus

tus est? In incarnatione enim Christus, nō sic assumpsit humanū corpus, quēadmodū angeli, cū in hoc mundo apparent, corpora ad tempus assumere solent: sed assumpsit verū & substantiale corpus hominis, quod vt in trāsfiguratione & in morte verū mansit corpus, ita et adhuc in dextra Dei patris verū corpus pmanet. Si aūt formæ nomine intelligit externa figura, externa species, externꝰ habitus, et si qua sunt alia id genus inhęrentia, falsum est, quòd Christus tali corpore resurrexerit, & in cœlos ascēderit, ac à dextris Dei sedeat, quale positū est in monumento. Positū est in monumento mortuū, resurrexit viuū. Positū est in monumento humile, et abiectū, resurrexit cœlesti gloria illustratū. Positū est in monumento imbecille et impotens, iuxta externā figurā, resurrexit, & sedet ad dextrā Dei omnipotens. Quare si Bullingerus, iuxta hanc formæ significationē, negauerit, apparitionē Christi Stephano factā, esse œconomiā, seu dispensationē, & contenderit Christū eandē semp formā in cœlo, ad dextrā Dei retinere, quā tūc habuit, quādo visibiliter in cœlū ascendit, & quando se Stephano visendū de cœlo exhibuit, nihil ꝓfecto absurdius, nihil à veritate abhorrentius dici aut existimari potest. Nō est dubiū, quin cū Christus ascensurus in cœlū, accesserit in monte Oliueti, ad suos discipulos, nō accesserit nudus, sed suo habitu seu tunica, aut pallio ꝓ more gentis vestitus, sicut et antea post resurrectionē apparuit, nō nudus, sed veste indutus. Alioqui .n. quomodo potuisset vt hortulanus, vt peregrinus internosci? Deinde non est dubium, quin eodē habitu, quo in mōte Oliueti apparuit, ascenderit

in altum, donec à nube ſubduceretur. Quid ergo dicemus? Si Chriſtus eandem ſemper formam (loquimur autem de forma, ſicut antea dictum eſt, accidentaria) in cœlo & ad dextram Dei retinet, qua ex monte Oliueti aſcendit in cœlum, quid aliud reliquum eſt, quàm quòd Chriſtus verſet adhuc inter cœlites corporalibus ſuis veſtimentis indutus? Quid carnalius, quid magis ridiculè dici poteſt? Aſcendit etiam Chriſtus è monte Oliueti in cœlum, miraculo quidē, quòd ſit abſq; vllo externo adminiculo in altū eleuatus, non autē ea maieſtate, qua coram tribus diſcipulis, in monte, vt aiūt, Itabyrio, transformatus eſt. Itaq; ſi Chriſtus in cœlo, & ad dextrā Dei, eandem retinet formā, eandem ſpeciem externam, qua è monte Oliueti ad nubes vſque peruenit, maiori certè fuit maieſtate in monte Itabyrio prædituſ, quàm nunc ſit ad dextram Dei patris ſui. Quam abſurditatem quis non auerſaretur? Accedit & illud, quòd Chriſtus apparuerit Stephano, STANS, ſtans, inquam, non ſedens, non ambulans. Quod ſi ergò ſemper eandem retinet formam quā habuit, quando exhibuit ſe Stephano cœlitus viſendum, non permittetur ei, vt aliquoties ſedeat, aut deambulet (quod tamē aliàs Bullingerus ei concedit) ſed neceſſe habet ſemper ſtare. O miſerum, ſcilicet, Chriſtum in ſumma ſua maieſtate & fœlicitate. Sedò miſerrimos potiꝰ homines, & deploratiſsimos, qui ſtudio tuendi ſui figmēti, eò veſaniæ pueniunt, vt malint ineptiſsima quæq; & abſurdiſsima de Chriſto in ſumma ſua maieſtate fingere, & cogitare, quàm veritati locum

dare. Si enim Bullingerus nagat externum ſpectaculum aſcenſus Chriſti in cœlum, & apparitionem Stephano factam eſſe œconomiam, ſeu diſpenſationem, ſed veritatem in eo ſtatu, qui extrinſecus apparet, ſemper durantem & permanentem, certè ea, quæ commemorauimus, & his multò abſurdiora conſequantur, neceſſe eſt. Si autem non negat, ſed affirmat eſſe diſpenſationem, quid nobiſcum pugnat? & quomodo probabit ex his ſpectaculis dextram Dei eſſe certum in cœlis locum, & Chriſtum corpore ſuo, ad dextram Dei ita localiter contentum & circumſcriptum, vt ne omnipotentia quidem Dei poſsit ſimul eſſe in eo loco, & in cœna à Chriſto ipſo inſtituta?

Sed conſcendamus etiam in gradus illos diſpenſationis Chriſti, quos Bullingerus vocat mea commenta. Nemo (inquiens) ita luſcioſus eſt, qui non intelligat, quò ille COMMENTIS his ſuis omnibus, ad quæ ſcripturas aſtutè reflectit, atq; contorquet, auidè tendat, &c. Hæc ille. Conſideremus igitur, vter noſtrum ſit commentitius. Diſtribui in priori ſcripto, ea quæ accidunt perſonæ Chriſti, in tres gradus. Primus eſt diuinæ maieſtatis. Et addo. In hoc gradu Chriſtus homo iam inde, ab incarnatione, ſemper conſtitit. Nunquam enim non fuit ab eo tempore verus Deus, nunquam non fuit in ſumma Deitatis ſublimitate, quam & in perpetuum nunquam amittet. Hæc ibi. Quid ergo? Tu hæc, Bullingere, vocas commenta? quæ & quanta tua hæc eſt impietas? Tibi igitur commentum eſt, quòd Chriſtus ab initio incarnationis

Pag. 88.

verus fuerit Deus, quòd fuerit in ſumma Deitatis ſublimitate, hoc eſt, quòd fuerit aſſumptus à filio Dei in vnam perſonam (hoc enim eſt ad ſummam Deitatis ſublimitatem extolli.) Etſi enim Chriſtus homo non oſtentauit ab initio incarnationis, pro humana opinione, maieſtatem ſuæ Deitatis, tamen ſemper eam habuit, & nunquam eam amiſit. Scribit quidem alicubi Marcus, quòd Chriſtus, cum veniſſet in patriam, non potuerit ibi vllam virtutem ædere, niſi quòd paucos infirmos impoſitis manibus ſanauerit. Num autem exiſtimas eum idcirco non habuiſſe maieſtatem omnipotentiæ, quia eam apud incredulos non protulerit? Nam expreſsè additur cauſa, cur Chriſtus non ædiderit in patria multa miracula: Propter incredulitatem ipſorum, inquit. Quare, quòd non potuerit ibi virtutem ædere magnam, non eſt infirmitatis ipſius, ſed incredulitatis ſuorum Sympatriotarum. Et quanquam tempore humiliationis exinanuerit, & ſuſceperit formam ſerui, tamen non eſt intelligendum, quòd abiecerit ſuam maieſtatem, ſed verè retinuerit, non tamen exercuerit, niſi cùm gloria patris, & veritas Euangelij illuſtranda eſſet. Et hactenus de primo gradu, quem quia Bullingerus vocat commentum, negat eo ipſo, Chriſtum hominem ab initio incarnationis habuiſſe diuinam maieſtatem, hoc eſt, verum fuiſſe Deum. Si non vult tam impius vel eſſe, vel videri & haberi, teneat, vt Auguſtini verbis vtar, mentem, & corrigat linguam.

Secundus gradus eſt inanitionis, ſeu humiliatio-

nis,

nis, in quo gradu, in diebus carnis suæ, sicut Apostolus loquitur, constitit vsq; ad resurrectionem. Quid? Nunquid & hoc est cõmentum? An non Paulus docet Christum in diebus carnis suæ humiliatum, idq; vsq; ad mortem crucis? an non idem Bullingerus ipse postea affirmat? Quæ igitur est illa hominis seu impudentia seu impietas, quod veritatem, quam apertè negare nec potest, nec in hoc Ecclesiæ contubernio audet, non vereatur vocare commentum? Sed in hæc præcipitia fertur, quòd omnino statuerit contradicere, belligerari, cœlum terræ miscere: dummodo sua figmenta, vel saltem suo theatro tueri videatur.

Tertius gradus est œconomiæ seu dispensationi. *Pag. 88.* Et additur ibidem. Etsi tota vita Christi, qua inter homines in hac vita conuersatus est, potest dici œconomia, tamen docendi gratia distinguimus in præsentia œconomiam ab humiliatione, & vocamus œconomiam, qua Christus post resurrectionem, ac etiam post ascensum suum in cœlum, apparuit in vno certo loco, & apparebit in nouissimo die. Hæc ibi. Quid ergò? Num & hoc est commentum? Paulus dicit de Christo: Cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta. Hanc seruilis formæ assumptionem, Græci scriptores, & inprimis Nazianzenus vocant οἰκονομίαν, nos autem dispensationem. *Grego. Nazian.* εἰς τὰ ἐπιφάνια. Falsum ne hoc & impium est commentum? Quòd autem ego distinguam œconomiam ab humiliatione,

humiliatione, non pugno cum Ecclesiasticis scriptoribus. Idem enim hac in re prorsus sentio, sed distinguo tantùm (vt ibidem ingenuè fateor) docendi gratia. Manifestum enim est, quod diuersa sint tempora humiliationis Christi, quo fuit adhuc mortalis: & resurrectionis, quo declaratus est immortalis. Manifestum est & illud, quòd vtrisq; temporibus multa contigerunt in persona Christi, non ordinario iure, & absoluta necessitate, sed extraordinaria dispensatione, & spontanea libertate. Damascenus vocat esum & potum Christi à resurrectione, dispensationem. Etsi > iustauit, inquiens, cibum post resurrectionem, non > amē naturali lege, Non enim esuriit, sed DISPENSA- > TIONIS modo, veritatis suæ resurrectionis fidem inducens, &c. Et Chrysostomus: Cum Deus, inquit, non vt est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum huiusmodi meruit, eatenus firmitatis videntis suam repræsentationem metitur, ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus, & eiusmodi rem CONDESCENSVM nominamus, & indulgētiam. Hæc ille. Siue igitur ea spectacula quæ ad captum spectatorum, vel à Deo ipso, vel à Christo filio eius exhibita sunt, appellaueris œconomiam, aut dispensationem, siue condescensum, aut indulgentiā, nihil refert, nec est, vt simus de vocabulis solliciti, sed rem ipsam consideremus. Vocat aduersarius hanc graduum distinctionem, quam recitaui, commentum & leptologiam. Negat igitur vera esse, quæ doceo. Doceo autem præter alia, etiam illa, Christum ingressurū asina

in

in Hieruſalem, fuiſſe in Bethania, non in caſtello, exinanitione. Et tamen aderat in caſtello maieſtate. Videbat enim coràm, quid de Aſino & Pullo ageretur: audiebat etiam tum, quid dicturi eſſent domini eorum. Quid? hoc ne eſt falſum? Doceo Chriſtum pependiſſe in cruce humiliatione & exinanitione, qui maieſtate obſcurabat ſolem, concutiebat terram, ſcindebat ſaxa, et diſrumpebat velum templi. Quid? Num & hoc falſum eſt? Doceo poſt reſurrectionem Chriſtum ediſſe & bibiſſe cum diſcipulis, idq; non neceſsitate naturæ, ſed ex œconomia, qui iuxta maieſtatem ſuam præbebat omni carni cibum, & potum. Quid? Num & hoc eſt commentum & leptologia? Doceo Chriſtũ ad mare petiſſe à diſcipulis obſoniũ, quod erat œconomiæ: interea autem induxiſſe multos & magnos piſces in rete diſcipulorum, quod erat maieſtatis. Quid? Num & hoc eſt commentum & leptologia? Sed cùm hæc ſint certiſsima & veriſsima, manifeſtũ eſt, Bullingerum, qui ea vocat commenta & leptologiam, vaniorem & futiliorem eſſe, quàm qui pluribus refutari debeat. Cæterum, vt faciat ſuum figmentum in ſuo theatro plauſibilius, ſomniat etiam cauſam, cur ego hos gradus, quos commemorauimus, poſuerim. Nemo, inquiens, ita luſcioſus eſt, qui non intelligat, quo ille (Brentius) cõmentis illis ſuis, ad quę ſcripturas aſtutè reflectit, atq; contorquet, auidè tendat, huc nimirũ, vt verã Chriſti humanitatẽ in cœlis & in ſtatu illo gloriæ, leptologia illa ſua, extenuet: vt remotis aut obſcuratis ſaltem omnibus veri corporis

Schuenckf

proprietatib. corpus Christi, Schuuenckfeldicè, quasi deificatũ reddat, vt nihil minus sit, q̃ corpus verum: imò tale potius esse videatur, quod nihil differat à spiritu, & per omnia diuinitati par, omnia impleat, & vbiq̃ præsens sit. Hæc ille. Primùm dicit me ad ea, quæ de gradibus eorũ, quæ personę Christi accidunt, cõmemoraui, & quæ ipse vocat commenta, astutè scripturas reflectere atq̃ cõtorquere. Sed si accusasse sufficit, quis innocens erit? Num idcirco verùm est, quia hoc dicit Bullingerus? nondum eam authoritatẽ apud pios consecutus est: vt fides simpliciter affirmanti habeatur: imò quia iam in tot manifestis mendacijs & calumnijs deprehensus est, quis bonus ei deinceps fidẽ adhiberet? Dicit me cõtorquere scripturas. Quas? Cur eas non cõmemorat? cur nõ ostendit, vbi contorserim? Nam quę de maiestate, humiliatione & dispensatione Christi docui, non reflexis & contortis, sed aptissimis scripturę testimonijs (iudiciũ sit penes pios & synceros lectores) exposui. Deinde affirmat me eò tendere, vt veram humanitatẽ Christi in cœlis, & in statu gloriæ extenuẽ. Est & hoc purum putũ mendacium. Quid. n. in scriptis meis magis elaboraui, quàm vt verã Christi humanitatẽ, siue substantiã, siue maiestatem eius respexeris, pro mea virili retinerem, ornarem, & illustrarem? tantũ abest, vt eam extenuarem. Dicit me eò quoq̃ tendere, vt remotis, aut obscuratis saltem omnibus veri corporis proprietatibus, corpus Christi Schuuenckfeldicè, quasi deificatum, reddam, vt nihil minus sit quàm verum corpus. Sunt & hæc

pura

pura puta mendacia. Possem quidem, amicissime mi Lector, pudentius & verecundius loqui. Sed quid faciam? Isti homines verecundiam interpretantur tergiversationem & fugam. Exposui iam sæpenumero, qua potui, modestia, non verbis tantùm, verùm etiam euidentibus argumẽtis, me fateri, & retinere essentiales proprietates, & veritatem corporis Christi, & abhorrere, vt qui maximè, à dogmate Schuuenckfeldiano, qui sentit humanitatem Christi non esse creaturam. Nihilominus tamen Cingliani & eorum gregales nõ verentur publicè vociferari, me tollere Christo veritatem sui corporis. Videor igitur mihi, iustam habere causam, cur ligonem vocem ligonem: & vbi non pudet illos mendacij, non debeat & me pudere, disertis verbis eos mendacij arguere, si fortè vel hac ratione petulantia eorum aliquo modo compescatur. Quod ergo Bullingerus dicit, me vel remouere vel obscurare, proprietates veri corporis Christi, falsum est. Non enim remoueo aut obscuro, sed potius expressè inter eas distinguo, vt sciamus, q̃ necessariò retineant, & quæ mutentur. Sunt enim duplices rerũ proprietates. Alię sunt essentiales, quę si tollãtur, tollitur & res ipsa. Alię sunt inhærẽtes, seu accidẽtales, quibus sublatis, nõ est necesse rẽ ipsam interire. Tale inhærens corporis Christi est LOCVS, Locus (inquã) qui est superficies corporis cõtinentis & circũscribentis. Nã de hoc est hac in parte cõtrouersia. De hoc affirmant, contendunt, belligerãtur Cingliani, & sentiũt, quòd corpus Christi nõ maneat verũ corpus, nec retineat veritatẽ

corporis, nisi fuerit in loco localiter & circũscriptiuè: ideoq; affirmãt, illud etiã localiter & circumscriptiuè ad dextrã Dei patris omnipotentis sedere. Hoc dicimus esse vanum, friuolũ, & falsum. Et quod dicimus, hoc etiã manifestis argumẽtis, & sacræ scripturæ testimonijs ita explicuimus, & cõprobauimus, vt Cingliani allatrare quidẽ, firmis autẽ rationib. refutare nullo modo queant: iudiciũ sit penes omnes pios & doctos, qui huius causæ cognitionẽ serio suscipiunt. Nõ enim obscurũ est, locũ, superficiẽ videlicet, circumscribentẽ corpus contentũ, nõ esse de substantia seu essentia corporis, sed inhærens eius. Et quanq; in hoc mũdo, quo cum, sicut tẽpus, ita & locus esse cœpit, cum ipso etiã transiturus, nullũ corpus videat esse absq; loco, tamen ipsum Vniuersi corpus iuxta exteriorem suam superficiẽ est absq; loco, & continet sola manu Dei. Corpus Christi autẽ, aliquoties etiã in hoc mundo nõ fuit circumscriptũ loco, quemadmodũ suprà ex ianuis clausis, p quas Christus intrauit ad discipulos, & alijs exemplis ostẽdimus. Nunc verò in regno cœlesti, in maiestate sua ad dextrã Dei patris sui omnipotentis, nullo planè loco circũscribitur aut cõcluditur: nihilominus tamẽ retinet veritatem, seu veram essentiã & substantiam corporis humani. Hæc si non possunt in cerebro Bullingeri cõuenire, aut cõstare, nihil mirũ, quòd vertigine ita laboret, vt vix videatur vlla ei medicina reperiri posse. De deificatione autẽ corporis Christi suprà diximus. Si enim nomine deificationis intelligit mutatio corporis in diuinitatem, nemo nostrùm est, (quod

(quod ego quidem sciam) qui hoc vnquam affirmauerit. Si autem hoc nomine intelligitur ornatus, quo corpus Christi, manens substantia sua verum corpus, ex vnitate personæ, cum filio Dei, per communicationem illustratur, sic certè non abhorremus vnà cum vetusta ecclesia, corpus Christi dicere deificatum, hoc est, non in diuinitatem mutatum, sed diuina gloria ornatum, & omnia humana, sicut Cyrillus loquitur, transcendens. Bullingerus igitur me Suuenckfeldianismi falsò accusat.

Sed pergit & dicit, me etiam eò tendere, vt corpus Christi tale videatur, quod nihil differat à spiritu, & omnia diuinitati par, omnia impleat, et vbiq; præsens sit. Hæc accusatio flexiloqua est, & si aduersarij ingenium respexeris, plena calumniæ. Nam, si aduersarius nomine spiritus intelligit substantiam spiritualẽ, qualis natura sua est angelus, falsum est, quod dicit, me eò tendere, vt corpus Christi nihil differat à spiritu. Sentio enim Christum habere & perpetuò retinere verũ, iuxta substantiam suam, corpus, nec vnq; fieri aut mutari in spiritum, seu substantiam spiritualem, aut Angelicã. Sed nec nostra corpora in resurrectione fient spiritus, seu Angeli. Non enim dicit Christus, nos fore angelos, sed ἰσαγγέλους, hoc est, æquales angelis. Si autem nomine spiritus intelligantur conditiones spirituales, verisimum est, quòd sicut nos resurgemus, iuxta Paulum, cum corpore quisq; spirituali, ita multò magis resurrexit Christus cum corpore spirituali. Corpus autem spirituale est, non quod amittendo suam substan-

tiam, mutatur in ſpiritum, ſed quod ſpiritualibus conditionibus ornatur & illuſtratur. Sicut enim ſpiritus penetrat ſolida ſine vllo obſtaculo, ita & corpus ſpirituale: ſicut ſpiritus in momento ibi eſt, quò cogitat, ita & corpus ſpirituale: ſicut ſpiritus nullo loco circũſcribitur, niſi aſſumpto corpore ſe circumſcriptum exhibeat, ita & corpus ſpirituale, niſi ſe ſua ſponte, in hoc mundo, in loco videndum, palpandum & retinendũ præbeat. Cuius rei argumentum eſt, non tantùm corpus Chriſti à reſurrectione, verùm etiam Moſes & Elias, qui cum corporibus ſuis apparuerunt in tranſfiguratione Chriſti. Ac breuiter, ſicut ſpiritus natura ſua agilis eſt, leuis & ſubtilis, ita & ſpirituale corpus in reſurrectione reddet agile, leue, & ſubtile (hoc eſt) ea fiet conditione, quam verbis quidem vtcunq; adumbrare, intellectu autem noſtro in hoc ſeculo comprehendere haudquaquam poſſumus. Et cùm talia fient noſtra corpora, multò tamen maiora ornamenta habet corpus Chriſti, quippe quod vnà cum anima aſſumptum ſit à filio Dei in vnam perſonam, & euectum ſuper omnes cœlos, vbi nec eſt locus nec tẽpus, ſed ſumma & æterna maieſtas, nec loco nec tempore circumſcripta. Habes igitur, quomodo corpus Chriſti differat à ſpiritu, & quomodo non differat. Differt ſubſtantia, non differt ornamentis.

Addit aduerſarius. Per omnia diuinitati par. Siquidem affirmat me doctrina de gradibus œconomię Chriſti, eò tendere, vt eſſentia corporis Chriſti mutetur in eſſentiam diuinitatis, vt in Chriſto Deus & homo

homo ſint ſua eſſentia vnum, luculentum eſt mendacium. Credo enim, & fateor, diuinitatem, & humanitatem in Chriſto eſſentia ſua tantùm differre, quantum differunt creator & creatura, hoc eſt, pluſq; cœlum & terra. Si autem intelligitur, quòd homo in Chriſto exaltatus ſit in parem gloriam, & maieſtatem cum Deo, quis tam impudens, tam impius erit, qui huic homini eum honorem, quem ei pater tribuit, adimat? Data, inquit, eſt mihi OMNIS POTESTAS (hæc eſt gloria omnipotentiæ) in cœlo & in terra. Et: Datum eſt ei nomen ſuper omne nomen, vt in nomine IESV, omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Hoc certè eſt ſedere in æquali gloria & maieſtate Dei.

Addit poſtremò & illud. Omnia impleat, & vbiq; præſens ſit. Hoc illud eſt, quod Cinglianorum oculos mirificè perſtringit, & de quo vociferationibus ſuis vniuerſum orbem implent. Sed ſuprà diximus, quòd hæc doctrina de vbiquitate, ſeu omnipræſentia, nihil ad ipſos pertineat, quippe qui carnalibus ſuis phantaſijs de corporum extenſione ita ſunt faſcinati, vt nondum queant credere, corpus Chriſti ibi verè & ſubſtantialiter præſens eſſe, vbi cœna eius peragitur: tantùm abeſt, vt poſſint credere, vbiq; in cœlo & in terra eſſe præſens. Diſcant igitur prius illud, quod & Catechumenis traditur, vt & ad huius fidem & intelligentiam quaſi gradibus ſuis deducantur. Sed age, explicemus & hoc ipſum. Nam ſi Cin-

si Cingliani nomine vbiquitatis, impletionis, & omnipræsentiæ intelligunt carnalem, corporalem, mundanam, & crassam, qualem humanæ cogitationes fingere solent, & qualem multi sycophantæ nobis imputant, diffusionem, & extensionem, quo cum pugnant? quo cum belligerantur? certè non pugnant, nisi cum suo ipsorum figmento & mendacio. Quis enim nostrum vnq̃ talem impletionem & omnipræsentiam docuit? Si autem hoc nomine intelligitur ea impletio, & omnipræsentia, quam exigit incarnatio Christi, ascensus Christi super omnes cœlos, sessio Christi ad dextram Dei patris sui omnipotentis, adeoq̃ dominatio & maiestas Christi euecti (in cœlestibus) supra omnem principatum, potestatem, virtutem, dominium, & omne nomen, quod non solùm in hoc, verùm etiam in futuro seculo nominatur, tunc vsq̃ adeo credimus & fatemur, Christum vnà cum corpore suo omnia, iuxta cœlestem modum, & rationem dextræ Dei, implere, & omnipræsentem esse, vt si angelus de cœlo aliud prædicaret, iudicaremus esse anathema, Maran Atha. Quare si Cingliani perrexerint hãc impletionem, & præsentiam oppugnare, facilè cogitare possunt, quo loco eos habendos censeamus: vt nobis haud immeritò in mentem veniat dictum Lutheri: Se credere, quòd Cingliani nihil credant, seq̃ de eo certum esse.

Quæ cùm ita se habeant, clarum et manifestum est, quòd cùm distinxi ea, quæ accidunt personæ Christi, in maiestatem, exinanitionem, & œconomiam, non solùm

ſolum nihil alienum à vera ſententia ſacræ ſcripturæ & veteris eccleſiæ docuerim, verùm etiam quòd Bullingerus eam piam doctrinam iniquè perſtringat, & commentum, figmentum, præſtigium, verborum caliginem, & ſi quid eſt contumelioſius, mendaciter vocet. Adeoq; iterum habeas exemplum, quo admonearis, vt à Bullingero, tanq; ab homine ad calũniandum, & maledicendum nato, caueas.

Reliqua adhuc eſt viſio, qua Chriſtꝰ apparuit Apoſtolo Paulo. Et hîc demum Brentius, tam inſolubili, ſcilicet, nexu ita conſtringitur, vt miſer totus teneatur captiuus. Hîc verboſa illa de vbiquitate corporis Chriſti, & de diſpenſatione diſſertatio, oſtenditur, nõ ſolùm eccleſiæ noxia, verùm etiam fidei, veritatiq; reſurrectionis contraria. Sed hîc iterum ebulliunt in Bullingero furiæ Aiacis, qui tanta erat inſania correptus, vt cùm apprehenderet arietem ac vinciret, & flagellaret, putabat ſe aduerſarium ſuum Vlyſſem vincire, & flagellare. Non eſt diſsimilis rabies Bullingeri hoc loco. Exiſtimat ſe è verbis meis, talem nactum laqueum, è quo nunquam poſsim exolui: cùm interim ſe, ſe inquam, ipſum tanto vertiginis nexu implicet, & conſtringat, vt niſi ſingularis Dei gratia affulgeat, nulla ſit ſpes ſanitatis eius. Quod vt diluci-de oſtendam, cognoſcendum prius eſt, quòd iterum redeat ad veteres ſuas ſtrophas, vt ambiguitate vocabulorum lectoris oculos perſtringat. Dicit, Chriſtum in cœlo, vnde ſe Paulo videndum exhibuit, verſari corporaliter, eandemq; adhuc corporis ſubſtantiã

formamq; retinere, quã habuit in terris. Duo hîc sunt vocabula ambigua & flexiloqua. Alterũ est (corporaliter) alterũ (forma corporis.) Quòd si intelligit nomine (corporaliter) veritatem corporis, vt sit sensus, Christũ esse in cœlo corporaliter, hoc est, vero & substantiali suo corpore, rectè intelligit. Sed contra quem loquitur? & quî cùm pugnat? Credimus enim & cõfitemur etiam nos, Christum cum vero & substantiali suo corpore esse in cœlo, & ad dextram Dei patris sui. Si autẽ vocabulo, (Corporaliter) intelligit, non veritatem substantiæ, sed modum corporalem, vt sit sensus, Christum versari in cœlo Empyreo corporali modo, in quo cœlo sint corporales & circumscriptæ mansiones, in quo etiam Christus corporali modo, aut sedeat aut stet, aut de loco in locum deambulet, falsum est, quod dicit: & ostendimus iamdudum, hæc esse pura puta Bullingeri & suorum gregalium figmenta. Idem dicendum est de forma corporis Christi, quod & paulò antè exponebamus. Si enim nomine formæ intelligas essentialem corporis formam, quæ est ipsa corporis substantia, rectè dicitur, Christum retinere in cœlis eandem, quam habuit in terris, formam, hoc est, eandem corporis essentiam seu substantiam. Nõ enim alio seu alterius substantiæ corpore resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, ad dextram Dei, quàm quo natus est ex virgine Maria, & quo est in his terris crucifixus. Si autẽ nomine formæ intelligas formam accidentaliter inhærentem, seu externam figuram aut effigiem, nihil falsius est, quàm quòd Christus tali forma

ma verſetur in cœlo, & in ſua maieſtate ad dextram Dei patris ſui omnipotentis. Neq; enim noſtra ipſorum corpora, habebunt in reſurrectione eandem externam figuram, vel albam vel nigram, vel gibboſam vel claudam, vel cæcam (ſunt enim multi cæci) vel luſcam: ſed habebunt formam ſpiritualem, hoc eſt, pulchritudine & venuſtate ſpiritus commendatam: quæ figura qualis aut quanta ſit futura, pueriliter quidem balbutiri, verè autem in hoc ſeculo, ab humano intellectu cognoſci, aut ſermone explicari non poteſt. Si ergo talis eſt futura noſtri corporis conditio, qualem putas eſſe conditionem eius corporis, quod vnà cum humana anima aſſumptum eſt à filio Dei in vnam perſonam, & collocatum ad dextram Dei patris omnipotentis? Nam ſi Chriſtus verſaretur in cœleſti ſuo regno, & ad dextram Dei cum corpore ſuo tali accidentali forma, qualẽ habuit in his terris, & qualem ei carnales homines affingunt, non eſt obſcurum, quid ſequeretur. Chriſtus enim, ſicut iuxta Cinglianos adhuc, hodieq; in cœlo, aut ſtat, aut ſedet, aut deambulat (tali enim forma fuit in his terris) ita adhuc eſuriet, ſitiet, edet, bibet, dormiet, & quicquid eſt harum humanarum formarum, quas Chriſtus in his terris habuit. Quid autem abſurdius fingi & cogitari poteſt? Conſideremus igitur nunc vertiginem Bullingeri. Dicat (inquit) nobis Brentius, quomodo Apoſtolus viſione hac Domini probauerit veram reſurrectionem Chriſti? Si enim CHRISTVS non apparuit vero ſuo

corpore, vera ſua carne, in vera corporis ſubſtantia atque figura, ſicuti & aliis ſeſe ſpectandum & contrectandum exhibuit Apoſtolis. Quomodo, obſecro, dixit: Viſus eſt Apoſtolis omnibus. Et: Viſus eſt poſtremo & mihi veluti abortiuo? Ego igitur Brentius, vt reſpõdeam, dico, quòd Chriſtus apparuerit Paulo, non in fictitio, ſed in vero corpore, non in commentitia, ſed in vera carne, non in putatiua, ſed in vera ſua ſubſtantia, non in incomprehenſibili, ſed in comprehenſibili figura, ſicut & aliàs in tali, videlicet, comprehenſibili figura, Apoſtolis apparuit. Miror autem, cur Bullingerus hoc Ceratinæ ſuæ argumentationis cornu mihi obuertat, cũ in priori ſcripto haud obſcurè ſignificauerim, Chriſtum ipſum, cum vero ſuo corpore præſentem, non angelum quendã loco Chriſti apparuiſſe Paulo. Sic enim ſcribo. Nec ſomniandũ eſt, quòd Chriſtus deambulauerit in cœlo Empyreo, & interim miſerit ſuo nomine angelum, qui cum Paulo colloqueretur. Paulus enim probat hoc argumento veritatem reſurrectionis Chriſti. Poſtremò, inquiens, viſus eſt & mihi. Quòd ſi angelus, non Chriſtus ipſe coràm præſens, viſus & collocutus fuiſſet cum Paulo, non conſtaret argumentum. Et iterum: Dici quidem poteſt, quod quæ Paulus vidit & audiuit, facta ſint per viſionem, aut per angelũ nomine Chriſti. Non poteſt autem verè dici, quod Chriſtus non fuerit tunc Paulo in terris præſens. Ex his enim viſionibus probat Paulus, ad Corinth. ſcribens, veritatẽ (ſicut ſuprà oſtendim⁹) reſurrectionis Chriſti.

Pag. 94.

Pag. 128.

Quod

Quod genus probationis non consisteret, si Paulus Christum non coràm verè viuum vidisset. Habes, quòd ego ipse apertè scripserim, Christum apparuisse Paulo verè viuum: quod certè intelligi non potest, nisi cum vero viuente corpore. Quid ergo Bullingerus aliud sibi hac interrogatione vult, quàm vt me apud suos suspectum reddat, perinde ac si sentirem, Christum non habuisse verum, sed fictitium corpus? Quod calumniæ genus sic ipsi alubescit, vt etiã mox repetat, de quo, suo loco. Sed age, videamus, quò tandem tẽdat. Habet enim me confitentẽ, quòd Christus apparuerit Paulo è cœlis, illo ipso vero corpore, quod antea Apostolis quoq; conspiciendum exhibuerat. Quid ergo infert? Consequens (inquit) est profectò, Christum in cœlo, vnde se Paulo videndum exhibuit, versari corporaliter, eandemq; adhuc corporis substantiam formamq; retinere, quam habuit in terris. Vides ne tandem Brenti, quanto acumine nos Cingliani res cœlestes expendamus, & quàm iniquè nostram doctrinam de corporalibus sessionibus, stationibus, & deambulationibus Christi in cœlesti suo regno, & ad dextram Dei patris sui omnipotentis, reprehendas? Ego vero video vos non solùm oborta vertigine hinc inde, sicut ebrij solent, vacillare, verùm etiam Sycophanticis imposturis lectorum oculos conari perstringere. Primùm enim diligenter obserues ambiguitatem vocabulorũ, (corporaliter & formæ) de quibus remitto lectorẽ ad ea, quæ paulò antè exposuimus. Deinde obserues & illud, quòd Bullingerus

in hac ſua de apparitione Chriſti, Paulo facta, diligenter caueat, ne dicat Chriſtum apparuiſſe Paulo in his terris, ſed tantũ in cœlis, & è cœlis. Sentit enim Chriſtum ante nouiſsimum diem ita localiter & circumſcriptiuè contineri in cœlo ſuo Empyreo, vt ne per omnipotentiam quidem Dei, poſsit ſalua corporis ſui ſubſtantia ſimul & in cœlo & in terra eſſe. Ac verum quidem eſt, quòd quoties Chriſtus à reſurrectione & aſcenſione eius in cœlũ apparet, rectè è cœlo apparere dicatur. Non enim agit amplius in his terris terreſtrẽ vitam, ſicut egerat ante mortem & reſurrectionem ſuam, ſed agit cœleſtem vitam. Illud autẽ non eſt verum, quòd quanquã eſt verè in cœlo, hoc eſt, in regno & vita cœlesti, non tamẽ etiã ſit, & apparuerit Paulo, exiſtens verè in hac terra, vt ſimul ſit & in cœlo & in terra. Profitetur quidem Paulus alias, quòd raptus in tertium cœlum, & in Paradiſum, neſciat, num in corpore, an extra corpus factũ ſit. In Actis autẽ Apoſtolicis cap. 23. manifeſtum eſt, quòd Chriſtus non apparuerit Paulo tantùm è cœlo, ſed etiam aſtiterit ei in terra. Magna (inquit Lucas) exiſtente ſeditione veritus Tribunus, ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſsit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra, In caſtra inquit. Sequenti autem nocte, aſiſtens (vbi? certè in caſtris, hoc eſt, *in his terris*) ei DOMINVS, Quis DOMINVS? non certè alius, quàm Ieſus Chriſtus. Sic enim ait, exiſtens iam in terris, ad Paulum, exiſtentem & ipſum in terris: Bono animo eſto Paule. Vt enim teſtificatus es de

me

me Hieroſolymis: ſic te oportet & Romæ teſtificari. Habes igitur luculentum & apertum teſtimonium, quòd Chriſtus cum vero ſuo corpore non tantùm ſit in cœlo, quod nunquam deſerit, verum etiam in terra, in qua, vt omnipotenter dominatur, ita aliquoties ſeſe verè, externa ſpecie, Paulo præſentem patefecerit, & aut conſolatus eum ſit, aut mandata dederit. Itaq; vaniſsimum eſt, quòd Cingliani dicunt, Chriſtum cum vero ſuo corpore, ne quidem per omnipotentiam Dei poſſe ſimul & in cœlo & in terra eſſe. Poſtremò, vide mihi obſecro, bellam ſcilicet hominis argumentationem. Si apparuit, inquiens, illo ipſo corpore vero, corporisq; veri forma, Paulo è cœlis, quo, dum in terris adhuc verſaretur cum diſcipulis, ſeſe conſpiciendum exhibuit, conſequens eſt profectò, Chriſtum in cœlo verſari corporaliter, eandemq; adhuc corporis ſubſtantiam formamq; retinere, quam habuit in terris. Oſtendimus antea, quòd Chriſtus, etſi non deſerit cœlum, ſeu cœleſte regnum, tamen apparuit Paulo aſtans in caſtris, quæ erant in his terris. Ponamus autem, quòd non in terris ſed in cœlis apparuerit Paulo, num putas ſani & ſobrij hominis conſequentiam eſſe, ſi quis dixerit, Chriſtus ſemel & iterum apparuit homini de cœlo, humano veſtitu indutus, humana voce loquens, humano more ſtans aut ſedens. Sēper igitur tali forma verſatur in regno cœleſti, ad dextram patris ſui omnipotentis. Sequamur

eundem

eundem ductum. Christus semel apparuit Mariæ hortulanus, discipulis euntibus in Emauntem, peregrinus, discipulis piscantibus, emptor obsonij. Semper igitur tali hortulani, peregrini & mercatoris forma versatur in regno cœlesti. Christus semel apparuit Paulo proficiscenti in Damascum fulgurans, tumultuans, irascens, increpans, & deijciens. Semper igitur tali est forma in regno cœlesti, & ad dextram Dei patris: vt haud immerito, scilicet, acclamemus ei tanquam Ioui fulguranti & tonanti. Talis est Cingliano-
rum dialectica. Sed vt similes habeant labra lactucas, qualem habent Theologiam, talem etiã habent Dialecticam. Cum enim Christus apparuit Paulo, non patefecit ei vniuersam suam maiestatem, nec apparuit ei in tota & perfecta sua gloria: sed demisit se, condescensu & indulgentia, vt Chrysostomus loquitur, ad captum Pauli, & eo modo apparuit, quo Paulus reuelationem eius ferre potuit. Non potuit firmo corpore & animo eam ferre lucem, qua apparuit ei proficiscenti ad Damascum: & quæ ne millesima quidem pars fuit perfectæ maiestatis eius: quomodo ergo posset in hac vita immensam illam lucem, qua ad dextram Dei patris sui coruscat, incolumis ferre? Dicit alias: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ac mox: Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, sicut & cognitus sum. Si Paulus in hoc præsenti seculo non cognoscit Christum, nisi ex parte, quomodo cognouisset eum perfecte,

fectè, & facie ad faciem, in viſione quæ facta eſt ei, vel eunti ad Damaſcum, vel in caſtris Romanorum militum? Et quid? An non Paulus fuiſſet iam non amplius in hac terra afflictus, miſer, calamitoſus, mortalis, ſed in vera, cœleſti & æterna beatitudine, ſi vidiſſet Chriſtum in tali tamq; perfecta maieſtate, qualem habet in cœleſti regno, & ad dextram Dei patris ſui omnipotentis? Sic enim videre Chriſtum, eſt verſari in ſumma beatitudine, & frui vera fœlicitate. Quare nihil vanius dici poteſt, quàm quòd Chriſtus tali forma verſetur in cœlo, quali apparuit Paulo, in his terris. Et tamen retinet interea nihilominus verum ſuũ corpus, quoquo modo, ſiue in cœlo, ſiue in terra appareat.

Addit Bullingerus & illud. Cum Paulus, inquiẽs, per reſurrectionẽ corporis Chriſti probet, noſtra quoq; corpora reſurrectura, conſtet autẽ, illa in vera corporis ſubſtantia atq; forma eſſe reſurrectura, luce clarius apparet, corpus Chriſti, quod è cœlo apparuit Paulo, in vera illa corporis ſui ſubſtantia atq; forma apparuiſſe: & ideo corporaliter ipſum in cœlo verſari, &c. Iterum vides aduerſarij vertiginẽ, qua hinc inde ita vacillat, vt & veritatem & mendacium inter ſe variè confundat & cõmiſceat. Veritas eſt, quòd Paulus probet è reſurrectione corporis Chriſti, noſtrã quoq; reſurrectionem: veritas eſt, quod reſurgemus in vera corporis ſubſtantia: veritas etiam eſt, quòd Chriſtus apparuerit in vera corporis ſubſtantia Paulo. Figmentum autẽ & mendaciũ eſt, quòd Chriſtus verſetur in regno ſuo cœleſti, & ad dextram Dei patris ſui omni-

potentis, corporaliter, hoc est, corporali & locali modo: adeoq; ea externa forma seu figura, qua se Paulo, pro ipsius captu, per œconomiam, seu per condescensum, & indulgentiam, ostendit. Christus enim, quod ad perpetuam suam maiestatem, in cœlesti suo regno attinet, non versatur ad dextram Dei patris sui tam humili forma, quali apparuit Paulo noctu in castris Romanis: sed versatur in summa & ineffabili gloria, omnia implens & gubernans, adeoq; in tali tam excellenti, & tàm incomprehensibili forma, vt nullus hominum in hac vita eam vel percipere, vel sufferre posset, quemadmodum paulò antè ostendi. Quare, quam veritatem Bullingerus recitat, non potest efficere, vt figmentum & mendacium eius, veritas fiat: & quo nexu putat me constringi, eodem ipso non tantùm constringitur, verum etiam suffocatur. Postremò concionatur nobis longos logos ex Hieronymo de resurrectione mortuorum: quod qua fraude, qua virulentia faciat, non dissimulat prebus, scilicet, & modestus vir, in fine, cum dicit. Si credit Brentius corpus Domini nostri Iesu Christi in cœlo ad dextram patris sedens, verum esse corpus, quod substantiam formamq; veri corporis retinet, cur itaq; talia sua illa disputatione profert, per quæ veritas corporis negatur, aut saltem apud rudiores vocatur in dubium? Si verò reuera non credit, & vanum aut inane duntaxat resurrectionis corporisue nomen obtendit, sonat & crepitat, cernunt liquidò omnes, quò miser insulsa sua disputatione peruenerit, &c. Hic est verè diabolicus

morsus,

morſus, quo Bullingerus me ita confectum iri ſperat, vt nulla mihi amplius vel fides, vel ſalus in Eccleſia filij Dei relinquatur. Conatur enim ſuſpicionem facere, quaſi qui reſurrectionis, quæ eſt ſumma æternæ noſtræ ſalutis, vanum tantùm & inane nomen iactem, reuera autem veram mortuorum reſurrectionem nõ credam. Non audet quidem me huius impietatis aperta fronte accuſare. Sed non dubito, quin boni & pij quiq; ſummam hominis verſutiam intelligant & deteſtentur. In libello, quem de manſionibus ſcripſit, non veritus eſt, vniuerſos nos, qui docemus veram & ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, accuſare huius impietatis, quòd negemus veram mortuorum reſurrectionem. Nunc in me vnum hanc deriuat, vt haud difficulter intelligam, quem eo libello petierit. Quid igitur vel cauſæ vel occaſionis eſt, cur à Cinglianis tàm horrendæ impietatis accuſemur? Reijcimus fictitiũ eorum cœlum, quod Empyreũ vocant. Reprehendimus, quòd ædificent in cœlis corporales manſiones, & localia ſpacia, in quibus Chriſtus localiter ſtet, ſedeat, aut deambulet. Damnamus, quòd Chriſtum DOMINVM noſtrum, omnia tàm in cœlo, quàm in terra, præſenti ſua maieſtate gubernantẽ, cœlo ſuo Empyreo ita affigant, vt ne per omnipotentiã quidẽ Dei liceat ipſi cum corpore ſuo ſimul & in cœlo & in terra, ſeu in cœna ſua adeſſe. Damnamus, quòd Chriſto homini, in vnã perſonam, & diuinæ maieſtatis æqualitatẽ aſſumpto, adimãt omnipotentiã, &, quę ex hac neceſſariò cõſequũtur, omnipræſentiã. Quę figmenta, & quas impietates cũ

nullis firmis argumentis tueri queant, & tamen ſumma vindictæ cupidate flagrent, viſum eſt eis, vltionis loco, nos publicè acculare, quòd negemus veritatem reſurrectionis Chriſti. Sed benè habet. Sordeamus licet coram Cinglianis, & videamur Goliathis illis & Poliorcetis miſeri atq; oppreſsi, non tamẽ abiecit nos Chriſtus filius Dei, qui vt non imputat nobis noſtra peccata, ita agnoſcit non eſſe in ſpiritu noſtro dolum. Primùm igitur credo ex animo & cõfiteor, quòd ſicut Chriſtus Dominus verè ex mortuis reſurrexit: ita nos quoq; ſimus verè reſurrecturi. Nec eſt aliud, quod nobis in huius ſeculi ærumnis maiorẽ affert conſolationem, quàm cùm in mentẽ reuocamus illud Pauli, aut ſimile dictum: Si credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ſic & Deus eos, qui obdormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Et: Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlis, ex quo & ſeruatorem expectamus DOMINVM Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, vt conforme reddat corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficatiam, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia. Deinde credo ex animo & confiteor, quòd Chriſtus cum vero ſuo corpore, cum vera corporis ſubſtantia, cum vera humana carne reſurrexerit à mortuis, & ſedeat ad dextram Dei patris omnipotentis. Falſum autem eſt, quòd proferam in mea diſputatione, (ſicut aduerſarius meus nugatur) talia, per quæ veritas corporis negetur, aut ſaltem apud rudiores vocetur in dubium. Ac de his quidem rudioribus, neſcio quid dicam. Si

ſunt

sunt rudiores, hoc est, qui non sunt vllo serio cognoscendæ veræ doctrinæ affectu, non est mirum, quòd quouis vento circumferantur. Si autem sunt rudiores, sed sanabiles, & vere pietatis studio inflammati, inuocent nomen Domini, discant & cognoscant, quæ nondum intelligunt. Nam si quis errore tenetur, primus gradus ad redeundum in veram viam est, errori suo non pertinaciter patrocinari, sed de eo dubitare. Cedò autem, vbi profero talia, per quę veritas corporis negetur? Nũ quia doceo, corpus vna cum humana anima à filio Dei in vnam eamq; inseparabilem personam ita assumptum, vt vbicunq; fuerit diuinitas Christi: ibi habeat secum coniunctam suam humanitatem? At hoc sibi vult verus sensus incarnationis Christi, & exigit necessitas, ne Christus in ordinem vulgarium hominum redigatur, & sit homo tantum, non etiam verus DEVS, quemadmodum suprà explicuimus. Num quia colloco corpus Christi in throno Dei patris, & ad dextrã eius? At hic est articulus fidei nostrę, tam Propheticis quàm Apostolicis scriptis confirmatus, ex quibus etiam comprobatum est, quòd sedere ad dextram Dei, non sit in certo loco circumscribi, sed esse omnipotentem, ideoq; etiam omnipræsentem, & omnia coràm gubernantem. Hoc certè non est veritatem corporis negare, sed veram humanam substantiam ea maiestate, quam ei spiritus sanctus tribuit, ornare. Si humana ratio posset comprehendere, quomodo humanum corpus, alioqui natura sua finitum & circumscriptum, euehatur & ex-

tollatur, in infinitam & incircumscriptã maiestatem, non esset miraculum, nec esset fide apprehendendum, sed carnali intellectu cognoscendum, oculis videndũ, & manibus palpandum. Et sacra ipsa scriptura ita de Christo (quemadmodum suis locis luculẽter demonstrauimus) cõcionatur, vt etsi testificatur eum esse verum hominem, habentem verum corpus, & veram animam humanam, tamẽ vnà etiam testificatur, hunc hominem exaltatum esse super omnem principatum, supra omnes cœlos, super omne nomen, non in hoc tantùm, verùm etiam in futuro seculo. Hoc certè est ita exaltari, vt omnia impleat, omnia in sua potestate habeat, & coràm præsens gubernet. Quare falsum est, quòd ea proferam, per quæ veritas corporis Christi negetur. Quòd autem aduersarius de resurrectione mortuorum ex Hieronymo recitat, iterum eo fit astu, vt faciat suspicionem, quasi nos errori Ioannis Hierosolimitani adscribamus. Is sensit, autore Hieronymo, homines in resurrectione habituros corpora ætherea seu aërea. Si ergò intellexit, nos in resurrectione non recepturos eadem nostra, eaq; vera corpora, nihil cum hoc errore commune habemus. Credimus enim nos recepturos vera nostra humana corpora, veram nostram humanam carnem: & in hac carne, iuxta Iobem, visuros DOMINVM. Interea autem & illud non est oscitanter cogitandum, quòd corpus resuscitandum verum quidem sit corpus, non autem erit animale, sed spirituale. Etsi erit corpus spirituale, certe erit & spiritus corporalis. Age igitur, dicito mihi, amà-

bo

bo te, quid eſt vel corpus ſpirituale, vel ſpiritus corporalis? quid eſt caro ſpiritualis, vel ſpiritus carnalis? An non hæc ex diametro inter ſe pugnant? Si enim eſt caro, non poteſt eſſe ſpiritualis: ſi eſt ſpiritus, non poteſt eſſe carnalis. Et tamen Paulus dicit nos habituros corpus ſeu carnem ſpiritualem. Dicito ergò apertè, quid hoc ſit? Audio quidem corpus idcirco dici ſpirituale, quia voluntati ſpiritus obſequatur. Rectè, placet, laudo. Sed dicito nobis, qua in re corpus obſequetur ſpiritui? Num in aliquibus? num in omnibus? Certè niſi in omnibus obſequatur, non erit verè ſpirituale, hoc eſt, ſpiritui obſequens, ſed in aliquibus repugnans. In hac vita (recitamus autem hoc, exempli tantùm gratia) cùm habemus adhuc corpus animale, oculis videmus, auribus audimus, manibus agimus, pedibus ambulamus. Nihil tale habet ſpiritus, non habet oculos, non aures, non manus, non pedes. Et tamen videt, audit, agit, ac ambulare quoque dicitur. Non autem vna tantùm ſui parte, quippe qui non habet partes, ſed totus videt, totus audit, totus agit, totus ambulat, ſi modò licuerit hoc verbo vti, cùm ſermo eſt de angelis. Quid ergò dicemus de corpore ſpirituali, & obediẽtia eius erga ſpiritum? Num ita obediet ſpiritui, vt & ipſum totũ videat, totum audiat, totũ operetur, totum ambulet? Si hoc non fiet, corpus non obediet ſpiritui. Si autẽ fiet, cur eum, qui hoc docuit, erroris accuſatis? Quid ergò eſt corpus ſpirituale? Sed pergo. In reſurrectione non

ne non ſolùm dicimur habere corpus ſpirituale, ſed etiam glorioſum. Seminatur, inquit, in ignominia, reſurget in gloria. Quid ergò? Num gloria eſt, loco cõtineri, de loco in locum pedetentim moueri? Nihil minus. Ignominia potius eſt, vel anguſtię, vel tarditatis, vel grauitatis. Illud autem vera eſt gloria, eaq; cœleſtis, nullo concludi loco, ſed liberum abſq; omni loci coërcione eſſe, nec de loco in locum pedetentim moueri, ſed in ſumma eſſe fœlicitate abſq; omni vel loci vel aliarum rerum mutatione. Nec tantum glorioſum habebimus corpus, ſed erimus etiam æquales angelis. Commemora nunc mihi, obſecro, quis ſit angelorum in altero ſeculo ſtatus, vt poſsim etiam cognoſcere, qualis ſit noſter futurus in reſurrectione ſtatus. Num angelus edit & bibit? Nihil minus. Ergo nec nos edemus & bibemus. Num angelus contrahit matrimonium? ne id quidem. Rectè. Ergo nec nos cõtrahemus coniugium. Num angelus mouetur de loco in locum, & prius pertingit medium, quàm ad terminum perueniat? Abſit. Non enim eſt in loco, nec natura ſua indiget loco. Rectè. Ergo nec nos erimus in loco, nec mouebimur de loco in locum. Quid tergiuerſaris? An non corpus erit ſpirituale? An non erimus æquales angelis, qui vt nullo circumſcribuntur loco, ita etiam non mouentur pedetentim de loco in locum? Ideoq; vaniſsimum eſt, quòd carnales exiſtimant Sanctos in cœlo, ſuas habere corporales & locales ſtationes, ſeſsiones, & deambulationes.

Et ſi Hieronymum refutantẽ errores Ioannis Hieroſolimi-

roſolimitani, de conditione corporum in reſurrectione, conſtanter ſequeris, quid eſt, quòd non eundem etiam ſequaris, cùm aduerſus Vigilantium concionatur de ſanctorum Martyrum omnipræſentia? Tu Deo (quam tamẽ ſententiã ſuo authori relinquimus) inquiens, leges pones? Tu Apoſtolis vincula injicies, vt vſq; ad diem iuditij teneantur cuſtodia, nec ſint cũ Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt: Sequuntur agnum, quòcunq; vadit? Si agnus VBIQVE, ergò & hi, qui cum agno ſunt, VBIQVE eſſe credendi ſunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbiq; præſentes ſint, martyres, poſt effuſionem ſanguinis ſui arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? Hactenus Hieronymus. Hæc de conditione corporis in reſurrectione voluimus cõmemorare, nõ certè, vt negetur veritas vel reſurrectionis vel corporis, extant enim certiſsima ſpiritus ſancti oracula, nos verè à mortuis reſurrecturos, idq; cũ veris noſtris corporibus, aut vera noſtra carne: ſed vt oſtendamus, illos repræhenſione & damnatione digniſsimos eſſe, qui non contenti manifeſtis ſcripturæ teſtimonijs de certitudine reſurrectionis, de veritate corporũ, de corporibus ſpiritualibus & glorioſis, et de æqualitate futuræ conditionis noſtræ cum angelis inquirunt in ea cognoſcenda, de quibus Propheticũ oraculum extat: A ſeculo non audierũt, neq; auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te, Et malũt ſoliciti eſſe de retinendis ſuis in futuro ſeculo corporalib. mãſionibus, quàm

Vigilant.

de retinendo & ſumendo vero corpore & ſanguine Chriſti in dominica cœna, in hoc ſeculo. Ac nõ tolum præſcribunt nobis corporales & locales, in cœleſti regno, ſtationes, ſeſsiones, & deambulationes, verùm etiam malunt Chriſtum hominẽ de ſua maieſtate detrahere, ac in locorũ anguſtias includere, q̃ vt patiantur eũ cœlũ & terrã implere, & omnia coràm præſenti ſua gloria gubernare. Sed reuertamur à generali hominũ reſurrectione et conditione corporũ ſpiritualiũ & glorificatorũ, ad conditionem corporis Chriſti, de quo principale fuit inſtitutum. Memorabilis enim et conſolatione pleniſsima vox Apoſtoli eſt in epiſtola ad Philippenſes. Dominus Ieſus Chriſtus transfigurabit corpus noſtrum humile, vt conforme reddat corpori ſuo glorioſo. Nunquid autem reddet corpus noſtrum ſuo corpori conforme per omnia, & in omnibus? Nihil certè minus. Etſi enim reſurget corpus noſtrum incorruptibile, glorioſum, ſpirituale & cœleſte, ſicut reſurrexit corpus Chriſti, tamen plurimũ adhuc reliquũ eſt diſcriminis inter corpus Chriſti et noſtrũ. Corpus Chriſti aſſumptũ eſt à filio Dei in vnam perſonã, Nunquid & noſtrũ corpus aſſumetur in vnã perſonã à filio Dei? Corpus Chriſti collocatum eſt ad dextrã Dei patris omnipotentis, vt ſit vnà cũ filio Dei ſupra, infra, extra, & intra omnia loca, & habeat nomẽ ſuper omne nomen, & gubernet omnia in cœlo & in terra, ac in nomine eius omne genu ſe flectat, cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorũ. Nõ mutatur quidem in naturam deitatis, ſed dicimus (inquit Cyrillus) corpus

Cyrillus.

Chriſti

Christi diuinum, quia corpus est Dei, et ineffabili gloria illustratum, &c. Nunquid tale erit, & ad tantam maiestatem euehetur etiam nostrum corpus? Nihil certè minus. Vt enim reliqua membra in humano corpore, non fiunt caput, ita & membra Christi in corpore ecclesiæ fiunt quidem participia beneficiorum capitis, quod est Christus, non tamen fiunt caput ipsum, nec habent, ex omni parte æqualem cum capite maiestatē. Quare tantū abest, vt ex cōditione nostrorū corporū iudicandū sit de cōditione corporis Christi, in summa sua maiestate, quā habet ad dextram Dei patris omnipotentis, vt potius, quantū est discriminis inter cœlū & terrā, tantū distet gloria Dñi nostri Iesu Christi, à gloria aliorum hominū, in cœlesti regno.

De adoratione & inuocatione Christi.

ADextremū, nec illud in hac materia oscitāter considerandū est, quòd Christus nō solùm iuxta diuinitatē, verùm etiā iuxta humanitatē, q̄ diuinitati in vnitate personę cōiuncta est, adorandus sit & inuocandus. Dedit, inquit Apostol⁹, ei (videlicet Christo homini) nomē sup omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et Augustinus. Quæro (inquit) quid sit scabellum pedum eius: & dicit mihi scriptura. TERRA scabellum pedum eius. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum

quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedũ eius. Suſcepit enim de terra, terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnẽ accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnẽ manducat, niſi prius adorauerit, inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus NON adorando. Et iterum: Quid, quòd carnem eius, quam creaturã eſſe nõ negas, ſimul cũ diuinitate adoras, atq; ei non minus q̃ diuinitati deſeruis? Ego dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatẽ, propterea adoro, quòd à diuinitate ſuſcepta, atq; deitati vnita eſt, vt non alium atq; alium, ſed vnum eundemq; Deum & hominem Dei filiũ confiteor. Deniq; ſi hominem ſeparaueris à Deo, vt Photinus, vel Paul. Samoſatenus, illi ego nunquam credo, nec ſeruio: veluti ſi quis noſtrùm, aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabit̃ adorare? Cum verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum rege quis adorare contempſerit. Ita etiã in Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudã, ſed diuinitati ſuæ vnitã vnum Dei filiũ, Deũ verũ et hominẽ verũ, qui adorare contẽpſerit, æternæ mortis pœnam patietur. Hæc ille. Non poteſt aũt Chriſtus homo adorari et inuocari (quod fit ſpiritu et veritate) niſi fuerit omnipotẽs, ac intueat̃ in mentẽ adorãtis, et ſcruteĩ corda et renes. Quid, n, cauſę eſt, quòd

Petrus

Petrus non adoretur, nec Paulus inuocetur, niſi quòd non ſint omnipotentes, ac præſentes cordiũ inſpectores & ſcrutatores? Quare, ſi Chriſtus homo adoratur & inuocatur, certè omnipotẽs, & præſentiſsimus cordium ſcrutator ſit, neceſſe eſt. Dices, Chriſtus iuxta humanitatem ſuam etiam abſens, potuit ſanare famulum Centurionis & filium Reguli. Quomodo igitur non poſſet noſtras preces, quamuis longè in cœlo Empyreo abſens, audire & iuuare? Primùm nullum eſt tale cœlum, quale Cingliani nobis obtrudunt, quemadmodum ſæpe iam oſtenſum eſt. Deinde manifeſtum quidem eſt, quòd Chriſtus non fuerit externo habitu, externa ſpecie, & corporali ac viſibili forma in domo Centurionis & Reguli præſens, quando auxilium eius petebatur. Sed & illud manifeſtum eſt, quòd cum filius Dei aſſumpſit humanitatẽ in Deum, extulerit ipſam in eam celſitudinem, in qua fuit diuinitas eius. Niſi enim in tantam fuiſſet celſitudinem elata, non rectè diceretur, Verbum factum fuiſſe carnem, aut vnionem duarum naturarum factam eſſe perſonalem, quemadmodũ ſuprà explicuimus. Nam quid eſt, quòd, quo tempore Centurio & Regulus venerunt ad Chriſtum, petituri opem eius, & vnà etiam fuerunt diſcipuli, nullus eorum viderit, quid cum famulo Centurionis, & filio Reguli ageretur, ſolus autem Chriſtus viderit, cum tamen idem ille Deus, iſq; totus, fuerit in diſcipulis, qui & erat in Chriſto? Cœlum & terram (inquit) ego impleo. Non certè alia eſt cauſa, niſi quòd humanitas diſcipulorũ,

non erat assumpta in Deum, nec per incarnationem in eam celsitudinem elata, vt omnia posset, veluti deorsum (vt ita dicam) despicere, & coràm, vbiq; præsens dominari. Hanc autem maiestatẽ habuit per incarnationẽ humanitas Christi, quam maiestatẽ etsi Christus non vsurpauit tẽpore exinanitionis, extrema et visibili specie, qua fuit in vno tantùm loco circumscriptus, tamen semper eam habuit, qua cum etiam, omnia tam supera quàm infera loca, sed illocaliter, & cœlesti modo, (vt ita loquar) perambulauit: ideoq; dixit ad Centurionẽ: Fiat tibi sicut credis, & ad Regulum: Vade, filius tuus viuit. Scriptum quidẽ est de Deo, non de homine: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Et: Cœlum & terrã ego impleo, ac multa id genus alia. Postquam autem Deus est incarnatus, sentiendum est, quòd ea dicta non sint amplius de Deo, aut de diuinitate tantùm, sed etiã de homine aut humanitate in Deum assumpta, intelligenda. Non enim est alius Deus, præterquàm qui est incarnatus. Sunt quidem in diuinitate aliæ duæ personę, Pater & spiritus sanctus, non autem est alius Deus. Quare, qui dignatus est assumere humanitatẽ in vnitatẽ personæ suæ, dignatus est etiã eam humanitatẽ secum in illam celsitudinẽ euehere, in qua ipse est: vt quemadmodum ipse implet cœlum & terram, & omnibus tàm superis quàm inferis dominatur, ita & assumptus homo omnia præsens gubernaret: & sicut ipse intuens corda & renes, adoratur, & inuocatur, ita etiam homo assumptus

ptus adoraretur & inuocaretur: quod certè fieri non posset, nec liceret, si non homo ille assumptus omnia coràm intueretur & gubernaret.

Et hæc quidem hactenus, Video enim me multò longiorem fuisse, quàm initio statueram. Et tamen eorum quæ aduersarius effutijt, & quæ aut nihil aut parum ad causam facere videbantur, multa silentio prætersij, multa dissimulaui, multa vno tantū & altero verbo, quasi aliud agens, refutaui. Quem enim scribendi finem reperissem, si suscepissem singula aduersarij conuitia, probra, maledicta, calumnias, & absurda copiosè tractāda? Conatus sum ꝓ virili causam ipsam, & vera eius fundamēta è scriptis Propheticis & Apostolicis recognoscere, & pertractare. Venit .n. in cōtrouersiā vera & substantialis præsentia corporis & sanguinis Dñi nostri Iesu Christi, in cœna. Hanc negant Cingliani: & oppugnant eam, excitati, vt ipsi quidem affirmant, ascensu Christi in cœlū, & sessione eius ad dextram patris eius. Docent .n. eam esse humani corporis naturā, vt salua substātia eius, ne quidē per ipsam Dei omnipotentiā possit in multis, aut omnib. simul locis esse. Et cùm audiūt Christum corpore suo ascēdisse in cœlū, ac sedere ad dextrā Dei patris, sentiūt, Christū cum corpore suo in cœlo quodā corporeo extra hunc mundū, et in certo eius cœli loco corporaliter et localiter ita cōmorari, vt non queat simul esse in cœlo et in cœna Dñi, q̄ in his terris pagitur. Hęc cum sint impietatis plena, et à vero sensu prȩcipuorū articulorū nostrę religionis lōgè abhorrētia, ostendendū et explicā

dum

dum erat, quod, etsi natura humani corporis per se considerati, non solet pro ratione huius seculi, in multis simul locis esse, homo tamen à filio Dei in vnam personam assumptus, consecutus sit multas, magnas, & insignes, præ omnibus alijs hominibus, prærogatiuas. Hîc docendum fuit, incarnationem Domini nostri Iesu Christi non esse similem illi cõiunctioni, qua diuina natura cum humana, in quouis homine copulatur: sed eò patère, vt diuina in Christo natura semper & vbiq; locorum, siue in cœlo siue in terra, haberet sibi admirabili, & incomprehensibili modo humanam naturam coniunctam, & eueheret eam essentia & dignitate super omne nomen, ac ornaret ipsam omni sua gloria & maiestate. Docendum item erat, quid sibi ascensus Christi in cœlum, ac supra omnes cœlos, & sessio eius ad dextram patris sui omnipotentis velent: videlicet, quòd Christus nõ sic ascendisset in cœlum, & consedisset ad dextram Dei, vt nunc in regno suo cœlesti, & in sua maiestate, transtulerit se ad certum corporei cœli locum, in quo corporali & locali modo commoretur, stet, sedeat ac deambulet, sed euaserit super omnes cœlos, vt omnia impleret, & omnium rerum tam cœlestium quàm terrestrium & infernarum gubernaculum teneret. Docendum item erat, quòd cùm Christus ex hoc mundo transiuit ad Deum patrem suum, non abierit in aliquem locum, in quo circumscriberetur, sed peruenerit ad maiestatem Dei patris sui, qua vnà cum patre omnibus rebus tam cœlestibus quàm terrestribus & infernis præsens coràm

ràm dominaretur. Docendum etiam erat, quod cùm assumpto homini in Deum, datum sit nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum, omnia etiam coràm intueretur, & in manu sua haberet ac gubernaret.

Etsi autem, optime lector, nunquam nobis faciendus est finis cogitandi, dicendi, & gratias agendi de Maiestate DOMINI nostri Iesu Christi, & de beneficijs eius, quæ in nos liberaliter, cùm in vniuersa legationis suæ administratione, tum in cœnæ suæ institutione, contulit: tamẽ nos in præsentia faciemus finem scribendi. Et speramus nos falsa dogmata Bullingeri, ac strophas, calumnias & deprauationes, quibus dicta sacræ scripturæ ad figmentum suum inflectit, ita detexisse, vt qui susceperit hanc causam serio & diligenter cognoscendam, ac dijudicandam, nihil amplius, quod ad comprobationem præcipui in hac controuersia status attinet, sit desideraturus. Non sunt parum multi, qui existimant hanc controuersiam de cœna DOMINI, & de vera ac substantiali præsentia corporis & sanguinis DOMINI nostri Iesu Christi, in ea, non esse tanti momẽti, vt propter eam charitas in Ecclesia dissoluenda, & concordia atq; communio dirumpenda sit. Dicunt suaues & diserti homines, cœnam dominicam esse symbolum charitatis. Non sunt igitur propter eam rixæ in Ecclesia mouẽdæ. Quid enim? Num æterna nostra salus, in sumendo hoc symbolo sita est? Quot & quanti consecuti sunt, absq; huius sacramenti

vsu, veram & cœlestem fœlicitatẽ? Articulus ne fidei est, vt nisi quis sumat cœnam dominicã, perpetuò intereat, necesse sit? Et, an non in eo, quod in cœna præcipuum est, de spirituali corporis et sanguinis Christi, manducatione per fidem cõuenimus? Quid ergò tam pertinaciter de sacramẽtali manducatione, quæ videtur propemodũ esse adiaphora, pugnat? At enim. Siquidẽ hi, qui ponunt statum huius controuersiæ, inter adiaphora, fuerint dogmatistę Cingliani, quid potest ipsis esse sceleratius? quippe qui malunt sumo vniuersi Christiani orbis offendiculo & periculo sententiã suam, quam tamen ipsi iudicant vel incertam, vel indifferentem, contumeliosè & virulenter tueri, quàm de ea ad cõseruandam publicam tranquillitatẽ humiliter cedere? Qui autem verè sunt pij, longè aliter sentiunt. Quanquam enim non abijciunt in æternũ barathrum eos, qui sua vel necessitate, vel legitima occasione non vtuntur cœna Dominica, tamen iudicant nec approbandum, nec ferendum, vt vel vnus verbi Dei apex, aut iota, falsa interpretatione ac intelligentia corrumpatur & deprauetur. Cœna Dominica nõ est instituta à Patriarcha quopiã, aut Propheta aut Apostolo, sed ab ipsomet filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo. Et verba institutionis eius nõ sunt ab ebrio, sed à sobrio, eoq; dicta, qui iam accessurus erat, ad peragendũ passione & morte sua sacrificiũ pro æterna nostri redemptione. Vocat ipse hanc cœnam, testamentum, Hoc poculum (inquiens) nouum testamentũ est in meo sanguine. Quid? Nũ putas tu testamentũ, quod condidi

didit vnigenitus filius Dei, & in quo cœlestia sua bona hæredibus suis distribuenda legauit, tàm parui faciendũ, vt reijcias inter adiaphora, & sentias ociosum, superuacaneum, imò perniciosum esse, veram eius sententiam solicitè inquirere, & diligẽter cognoscere, ac in cognitione eius cõstanter, etiamsi fractus illaberet orbis, perseuerare? Et hic Cinglianorum de cœna DOMINI error, nõ est simplex, vt quibusdã fortassis videtur: sed qua error est fœcunditate, alter alterum parit. Nec mirum, si enim semel admiseris satanam, & exhibueris ei domũ scopis mundatã, prohiberi nõ potest, quin post se, alios septem se multò peiores, trahat. Primùm enim, quia sentiunt corpus Christi tantũ abesse à cœna, quantum cœlum distat à terra, idcirco necesse habent illa cœnæ verba. Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, in aliam sententiam, quàm verba ipsa apertè & clarè ostendũt, transferre: vt vel ex verbo substantiuo EST, fiat SIGNIFICAT, vel è corpore & sanguine Christi, figura corporis & sanguinis. Ex hoc illud oritur periculum, quòd petulantia ingenia sumant hinc occasionem quaslibet scripturæ locutiones, quamuis perspicuas, à naturali significatione, ad tropicam, typicam, metaphoricam, metonymicam, & figuratam sine vlla necessitate transferendi. Sed huic periculo posset fortassis aliquo modo occurri. Reliqui autẽ adhuc sunt maiores & grauiores errores, quos satan partim manifestè profiteri nõ veretur, partim adhuc meditatur & mussat. Affirmant enim corpus Christi tantum abesse à cœna, quantum

Vide Brentius [illegible] de hoc Sacramento [illegible] 29. [illegible] p. 135.

cœlum distat à terra, & Christum esse in cœna tantùm secundum suam diuinitatem, vt Christus sit in certo loco cœli Deus & homo, in cœna autem tantùm Deus. Hoc certè est è Christo, duas (quantum in Cinglianis est) personas facere, alteram in cœlo, Deum & hominem, alteram in cœna, Deum tantùm. Itaq; vetus illa Nestoriana hæresis, in Ecclesiam velut postliminio reuocatur. Deinde adimunt homini, à filio Dei in vnam personam assumpto, capacitatem infinitæ potentiæ, sapientiæ, & aliorum infinitorum bonorum Dei. Itaq; adimunt ei omnipotentiam. Et quanquam permittũt eum esse multipotentem, tamen negant eum omnipotentem. Quod certè nihil aliud est, quàm ex ipso facere hominem impotentem, propterea quòd multipotentia ad omnipotentiam collata, meritò dicenda sit impotentia.

Adhæc, cùm negant hominem à filio Dei assumptum, esse infiniti capacem, necessariò sequitur, quòd negent eum habere carnem viuificam, & potestatem remittendi peccata, ad quæ requiritur infinita virtus & potentia. Etsi enim nolunt videri sese tantis blasphemijs obnoxios, tamen si doctrinam eorum explicueris, inuenies, satanam hanc impietatem in ea meditari. Præterea, collocant hominem Christum in certo loco cœli, & affirmant, nulla vi, nulla potentia fieri posse, vt hic homo simul sit in cœlo & in terra. Ex hoc meditatur satan homini Christo adimere maiestatem adorandi. Si enim hic homo tantum à nobis abest, quantum distat cœlum à

terra,

terra, non potest corda nostra scrutari, & preces mentis audire. Surdo igitur recitantur preces, & frustra inuocatur, præsertim cum & omnipotentia eiadimatur. Quid multis opus? Cùm Cingliani adimant homini à filio Dei in vnam personam assumpto omnipotentiam, & omnipræsentiam, satan eò respicit, vt negetur homo esse Deus, & Deus homo. Quem enim negaueris esse omnipotentem & omnipræsentem, eum etiam negas esse Deum. Respicit etiã illò, vt homo Christus redigatur in ordinẽ vulgariũ hominum, videlicet vt Deus habitet tantùm in homine assumpto, sicut in alijs hominibus, non etiam homo sit Deus ipse.

Deinde Cingliani reuocant in ecclesiam fictitium cœlum Empyreum, quod sentiunt esse corporale, & corporalibus mansionibus instructũ, in quo sint corporales & locales Christi & beatorum sessiones, stationes & deambulationes. Docent etiam, quòd dextra Dei in illo religionis nostræ articulo: Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, sit certus locus in cœlo: et quòd ne omnipotentia quidem Dei fieri queat, vt corpus Christi sit vel in pluribus locis simul, vel non sit salua substantia sua in certo loco localiter. Denicp quòd nullum humanum corpus possit consistere, nisi fuerit in loco localiter circumscriptũ. His fundamentis aut potius figmentis iactis, satan meditatur primùm veram Dei omnipotentiam è medio, quod in ipso est, tollere. Qua sublata, quid nobis reliquum de articulis nostræ religionis, & de æterna nostra sa-

lute manebit? Deinde meditatur in ecclesiam introducere Ethnicismum, Thalmudismum, & Mahumetismũ, qui collocant sempiternã fœlicitatem in corporali voluptate. Nõ ignoro, Cinglianos vociferari, sibi his accusationibus, quæ ex dogmatis ipsorũ inferunt, luculentã fieri iniuriã. Ac fortasis sunt quoq; inter ipsos, qui videntur sibi illas impietates, quas è doctrina eorũ deducimus, serio in corde suo detestari. In præsentia aũt non hoc agitur, quid ipsi secum cogitent, aut sibi persuadeant, sed quid satan è fictitijs & ementitis ipsorũ fundamentis meditetur. Id enim est ingenium satanæ, ea industria, vt initio egregiè dissimulet, quid quærat et quò tẽdat: ac lõgè aliud, cũ prima fronte videatur, prætexat: sed nacta sua oportunitate, in tantũ non cõquiescit, vt secum septem satanas (quod paulò antè dicebamus) se multò peiores trahat, & introducat. Non libet nunc alios etiam Cinglianorum errores copiosè huc adscribere. Cinglius ipse collocat Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, in cœlesti regno, cum ijs, qui ex hac vita in fide migrarunt. Alij non tantùm primam promissionem de Christo: Semen mulieris cõteret caput serpentis, verùm etiam alias Propheticas de Christo promissiones non exponunt κατὰ τὸ ῥητὸν, de Christo, sed Iudaicè, de rebus & beneficijs corporalibus. Quibus dogmatis viam præparant, non solùm ad obscurandum, verùm etiam ad tollendum è medio DOMINVM Iesum Christum, vnicum nostrum & perpetuum seruatorem. Monemus igitur

igitur pios quosq; vt principijs obstent, & sibi à fundamentis Cinglianorum, quæ commemorauimus, non aliter, quam à præsentissimo veneno & certissimo interitu, summo studio & diligentia caueant.

Nos autem, sicut clementia, gratia et beneficio Dei, Prophetica & Apostolica scripta, tanquam epistolam Dei ad humanum genus, quorum summa collata est in symbolum Apostolicum, Athanasij & Nicœnum, fideliter & obedienter amplectimur, ita credimus & confitemur de Deo patre, & filio, & spiritu sancto, quòd sit vnus tantùm essentia Deus ab æterno, tres autem proprietate per se subsistentes, quas personas vocamus inter se distinctas: creator omnium inuisibilium & visibiliun, cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt. Deind credimus & confitemur, quòd filius, qui est secundain diuinitate persona, assumpserit in plenitudine temporis verum hominẽ ex Maria virgine, in eandem personam, qui est Christus Dominus noster: vt, etsi duæ naturæ in Christo, diuina videlicet, et humana, retinent suam quæq; essentiam saluam, nec alter mutetur in alteram, tamen sit vna tantùm persona, in qua duæ naturæ intellectu quidem, seu ratione & numero, nunquam autem diuersis locis distinguant, & ab inuicẽ separentur. Sed vbicunq; fuerit diuina Christi natura, ibi secũ habeat sibi suam humanã naturam coniunctã, ne vel è duabus naturis, vna fiat natura, vel ex vna persona duæ fiant personæ.

Præterea credimus et cõfitemur, quod Christus verus Deus, & verus homo exinaniuerit quidẽ se in humanitate

nitate sua, in diebus carnis suæ, & dissimulauerit formam Dei, qua ab initio incarnationis ornatus erat, & humiliauerit se, assumpta serui forma vsq; ad mortem crucis, quam verè suscepit & pertulit, vt expiaret peccata nostra, ac redderet nobis obedientia sua Deum patrem propitium & daret nobis potestatem filios Dei fieri, vt vnà cum ipso acciperemus cœlestẽ hæreditatem: exaltatus autem sit & collocatus, in omni cœlesti gloria ac maiestate, vt in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium ac infernorum, & omnia habeat sibi subiecta: eaq; non absens, sed corà m præsens omnipotenti sua virute gubernet.

Ad hęc credimus & cõfitemur, quòd postq; à morte sua resurrexit tertia die, et ascẽdit quadragesimo à resurrectione die visibiliter in cœlum, consederit ad dextram Dei patris sui omnipotentis: nõ quòd certũ aliquem locum in cœlo, quod fingunt Empyreo ita occuparit, vt in eo localiter circumscriptus teneatur, sed vt accepta à Deo patre omni potestate, omnia impleret, ac in primis ecclesiam suam tueretur, conseruaret, & perpetuò saluam redderet. Deinde credimus & confitemur quòd instituerit in ecclesia sua non solùm Baptismum, quo regeneramur, sed etiam cœnam suam dominicam, in qua totus ipse verus Deus & homo, verè & substantialiter, præsens distribuit, pane & vino suum ipsius corpus & sanguinem vescẽdum & bibendum, dignis quidem ad salutem, indignis autem ad iudicium.

Postremò credimus & confitemur, quòd, quemadmodum

modum Christus verè mortuus est, & vero suo corpore à mortuis resurrexit, ita omnes homines verè à mortuis, non alieno, non Phantastico, sed vero suo quisq; corpore in extremo die sint resurrecturi, pij quidem & credentes in Christum, ad æternã vitã, impij autem & increduli, ad æternam condemnationẽ. Resurgent autem, non vt in his corporalibus, vel terris, vel cœlis localiter maneant, & circumscribantur, ac in ipsis physicè stent, sedeant, aut deambulent, sed vt pij, vnà cum Christo sempiterna, et nobis in his terris imperuestigabili fœlicitate fruantur, impij autem vnà cum Satana & angelis eius, sempiternis cruciatibus (qui & ipsi sunt in his terris humano captu imperscrutabiles) puniantur. Nam si de loco Christi & beatorum quæritur, siquidem de hac terrena conuersatione sermo fuerit, Christus, cùm adhuc erat in his terris, habuit communem, cum alijs hominibus in hac terra commorantibus, physicam locationem: Si autem sermo fuerit de glorioſa & cœlesti Christi & beatorum, post resurrectionem conuersatione, nõ quidem erunt nusquam, non autem erunt in loco physico, in quo physicè aut stent, aut sedeant, aut deambulẽt, sed erũt apud Deum patrem glorioso & cœlesti modo, de quo Paulus dicit: Transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso. Hunc existentiæ modum, nullus humanus intellectus in hac vita percipere potest. Si verò sermo fuerit de illa diuina maiestate ad quam Christus homo, per personalem vnionem cum filio Dei exaltatus est, non so-

lùm ſuperat omnes phyſicas locationes in his terris, verùm etiam omnem gloriam exiſtentiæ beatorum in cœleſti regno. Vnde cùm Paulus dicit, Dominum Ieſum Chriſtum transfiguraturum corpus noſtrum humile, vt conforme reddat corpori ſuo glorioſo, diſertè addit, ſecundum τὴν ἐνέργειαν, efficatiam, qua eſt potens, & qua ſubiicit ſibi omnia, videlicet ſignificans, Chriſtum, non tantùm habere eam gloriam, quã beati ſunt habituri, & quam beatis ipſe eſt collaturus, verùm etiam habere ſummam Dei maieſtatem & omnipotentiam, qua omnia impleat, & omnia gubernet. Et cùm oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit ea gloria, quam Deus præparauit diligentibus ipſum, quomodo humanus vel viſus vel auditus, vel intellectus cognoſcere poſſet eam diuinã maieſtatem, ad quam Chriſtus Dominus noſter eſt euectus? Compeſcamus igitur τὸ πολυπραγμονοῦν, & curioſitatem noſtri ingenij, & tradamus nos captiuos verbo Dei, ac illam fidei & obedientiæ gratitudinem Chriſto præſtemus, vt ſemper cum ipſo ſimus & fœliciter viuamus.

Habes nos nec Marcionis, nec Eutychetis, nec aliorum id genus hæreticorum delyria, phantaſmata, & impietates, ſed veram, catholicam & orthodoxam fidem, iuxta verè piam Propheticorũ & Apoſtolicorũ ſcriptorũ ſententiã, beneficio Dñi noſtri Ieſu Chriſti ſectari: Habes etiã, nos nec verũ cœlũ, nec verũ infernũ negare, nec cœlum aut terræ aut inferno miſcere, ſed tantùm vana ſomnia de fictitio cœlo & inferno deteſta-

deteſtari: & hoc vnum nos potiſsimũ quærere, vt nõ ſolùm certitudo cœleſtis fœlicitatis confirmetur & illuſtretur, verùm etiam, vt nos eam per Chriſtum Dominum noſtrum aſſequamur, et ea perpetuò fruamur.

Quanq; autem initio, poſtq; legi ſcriptum Bullingeri, cui titulum fecit: Fundamentum firmum, ſtatueram prorſus à reſcribendo abſtinere, quippe quòd viderem, Cinglianos illud præcipuè agere, non vt veritas explicetur, ſed vt vndiquaq; occaſionem calumniandi captent, & orbem impijs ſuis vociferationibus impleant: tamen excitatus vel tandem pijs amicorum cohortationibus, volui hoc ſcriptum prioribus addere, vt eſſet iterum publicum in eccleſia filij Dei teſtimonium, me non ſolùm Cinglianas impietates ex animo deteſtari, verùm etiam me pro mea virili conatũ eſſe, vt vera Domini noſtri Ieſu Chriſti maieſtas illuſtretur, & vera præſentia ac diſpenſatio corporis & ſanguinis Chriſti in cœna retineat. Sperans fore, vt etiamſi deinceps relinquam Cinglianos ſuo furori, & iudicio Dei, nõ tamen mihi ſit apud pios quoſq; fraudi: ſed nos precibus ſuis iuuent, vt Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti omnem celſitudinem extollentem ſeſe aduerſus veram Dei cognitionẽ, ſpiritu oris ſui demoliatur, & nos in ea veræ fidei ſententia, quam tam toties profeſsi ſumus, perpetuò conſtantes & firmos conſeruet.

Appendix

PVBLICORVM TESTIMONIORVM, QVIBVS MANIFESTE OSTENDITVR, CINGLIANOS *noſtram, hoc eſt, verè piam ſententiam de cœna Domini, mala conſcientia oppugnare.*

Pio Lectori.

VIſum eſt ad finem huius ſcripti adijcere quædam publica ſcripta, quæ teſtimoniũ dicũt, quòd Cingliani, etſi aliud ſentiunt de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, quàm D. Lutherus & noſtri, tamẽ petierint à nobis pro fratribus agnoſci & haberi. Hæc autẽ idcirco addidimus, vt pius Lector intelligat, qua conſcientia Cingliani ſuum dogma propugnent. Nã ſi iudicant, noſtram ſententiam de cœna eſſe piam, & apud nos eſſe veram eccleſiam, cuius membra eſſe cupiant, quid eſt, quòd ſuum dogma, quod cum noſtro ex diametro pugnat, & ex quo multi horrendi errores oriuntur, quemadmodum in hoc ſcripto oſtenſum eſt, defendere & tueri pergant?

Si

Si autem iudicant noſtram ſententiam eſſe impiam, qua fronte cupiunt ſeſe cum Eccleſia, quæ impiam doctrinam ſectatur, coniungere, & ab ipſa fratrum loco haberi? Quod conſortiū, inquit Paulus, iuſtitiæ cum iniuſtitia, aut quæ communio luci cum tenebris, aut quæ concordia Chriſto cum belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Itaq; ſi verè & ſeriò hoc petunt, manifeſtè ſignificant, ſe doctrinam Religionis habere ludibrio, quod iuxtà referat, quam ſecteris: tantummodo, vt in pace & tranquillitate vitam ducas. Si autem hoc petunt, fictè & ſimulatè, nil poteſt ipſis eſſe malitioſius, & magis veteratorium, quòd alienam impietatem ſimulatione ſua approbent & foueant. Porro ſi ſunt cupidi pacis & tranquillitatis publicæ, calamitates ſuperiorum annorum, quas in multis prouincijs perpeſſa eſt Eccleſia Dei, ipſos admonere debebat, quantum in Deum pariter & Eccleſiam eius hactenus peccauerint. Negare enim neq; debent, neq; poſſunt, quòd iam inde ab initio renati Euangelij hoſtibus veræ doctrinæ ad opprimendos pios, animum addiderint, diſſenſione de Cœna Domini, cuius ipſi, ipſi inquam, authores fuerunt. Huius mali tamen in nos cauſam impudenter deriuare audent, quos cum viderent conſtanter doctrinam veritatis tueri, ſibi malè conſcij, ſocietatem tamen & fraternam cōiunctionem noſtrorū petierūt, nihil obſtante hoc certamine, quo Eccleſiam Dei miſerè lacerant. Hæc commemoratio ſi maximè authores & propagatores huius impij dogmatis non mouebit, excitabit tamē, vt ſperamus, mul-

torum animos, vt hac Cinglianorum inconſtantia & improbitate perſpecta & cognita, ei doctrinę ſeſe tutò coniungant, quę non modò Chriſti & Apoſtolorum teſtimonijs confirmata eſt, & vndiquaq; munita, ſed ne quidē ab hoſtibus ſuis, qui diuerſam & planè contrariam ſententiam ſequebantur, tanquam impia damnata eſt, qui horum ſocietatem & amicitiam tam ſolicitè ambierunt. Neq; etiam negare poſſunt, nos planè eandem ſententiam & doctrinam defendere, & quam ij nobis quaſi per manus tradiderint, quibus cum ipſi ante tot annos ſe piam pacem conſtituere poſſe exiſtimarunt. Eam ſi hæreticam eſſe iudicant, ſicut eius aſſertores horribilium & damnatarum hæreſeōn reos agunt, vt qui cum Eutychete, Marcione, & alijs hæreticis faciant, temeritatis, & impudentiæ notam nunquam effugere poſſunt, dum eos pro fratribus agnoſcunt, ſeq; viciſsim agnoſci, & fratrum loco haberi auidè & vnicè deſiderant, quos pro manifeſtis hæreticis habent. Quoquo igitur modo, Chriſtiane Lector, hoc Cinglianorum ſtudium conſideres, Cinglianos mala conſcientia ſuum dogma hactenus defendiſſe, re ipſa comperies.

Sed audiamus nunc teſtimonia.

Optimo

OPTIMO ET SYNCERO SERVO CHRISTI, DOMINO IACOBO PROVEST, THEOLOGO

Licentiato, miniſtro verbi in Brema, fratri ſuo Chariſſimo.

SCribo Comiti Friſiæ conſolatorias, vt petis. Deinde mendacia Carlſtadij, quæ antea miſiſti, Principi tradidi. Et arbitror comiti à Principe eſſe ſcriptum. Ego quoq; idem tibi ſignificaui literis, quod ſcio certò. Miror ſi non acceperis. Porrò quòd Sacramentarij iactant, me eſſe Marburgi victum, faciunt more ſuo. Sunt enim non ſolum mendaces, ſed ipſum mendacium, fucus & ſimulatio, quod teſtatur Carlſtadius & Cinglius ipſis factis & verbis ſuis. Vides autem hos Marburgi reuocaſſe in articulis poſitis, ea quæ de Baptiſmo, Sacramentorum vſu, ſimiliter externo verbo, & alia, quæ hactenus editis libris peſtilenter docuerunt. Nos nihil reuocamus. At cum victi eſſent etiam in cœna Dominica, noluerunt reuocare hunc articulum, etiamſi viderent ſeſe non ſubſiſtere. Metuebant enim plebes ſuas, ad quas non licuiſſet reuerti, ſi reuocaſſent. Et quî non vincerentur? Cum Cinglij vnicum & totum argumentum fuerit, corpus non poſſe eſſe ſine loco & dimenſione: Cui ego ex philoſophia oppoſui, ipſum cœlum eſſe naturaliter

naturaliter ſine loco, tam magnum corpus, nec diſſoluere potuerunt. Oecolampadij verò vnicum fuit argumentum, Patres appellant ſignum, ergò nõ eſt corpus ibi. Multis verò verbis promiſerunt, ſe velle nobiſcum eatenus dicere, Chriſti corpus veraciter eſſe in cœna præſens (at ſpiritualiter) tantùm vt fratres dignaremur appellare, & ſimulare ita concordiam. Hoc quod Cinglius palàm lachrymans coram Landgrauio & omnibus rogabat, dicens in hæc verba: **Es ſeind keine Leut auff erden / mit den ich lieber wolt eins ſeyn / dann mit den Wittenbergern.** Summo ſtudio & contentione egerunt, vt viderentur nobiſcum concordes, ita vt hanc vocem nunquã ex me poſſent ferre: Vos habetis alium ſpiritum quàm nos. Ardebant toti quoties hæc audiebant. Tandem id conceſsimus, vt articulo vltimo ponitur, vt fratres quidem non eſſent, ſed tamen charitate (quæ etiam hoſti debetur) noſtra non ſpoliarentur. Ita indigniſsimè adfecti ſunt, quòd fratris nomen non potuerunt obtinere, ſed pro hæreticis diſcedere, tamen ſic, vt pacem interim haberemus mutuis ſcriptis, ſi fortè Deus illis aperuerit cor. Hæc ſecurè narrabis. Si ego ſum Chriſti prædicator, imò ſi Chriſtus eſt veritas, hæc etiam vera ſcribo, vt habeas quod mendacibus, ſi nolint quieſcere, opponas. Incredibili enim humilitate & humanitate ſeſe geſſerunt erga nos. Sed, vt nunc apparet, omnia ficte, vt nos traherent in ſimulatam concordiam, & participes ac patronos facerent ſui erroris. O aſtutum Satanam, ſed ſapientiorem Chriſtum, qui

ſeruauit

ſeruauit nos. Ego iam deſij mirari, ſi impudẽter mentiantur. Video eos aliud non poſſe: atq; glorior iſto caſu, videns eos ſatana regnante, iam non inſidijs, ſed palàm ſeſe mendacijs prodere. Anno 1530.

Martinus Lutherus.

Ein bericht Philippi Melanthonis vnnd Joannis Brentij / an den Durchleuchtigen vnnd Hochgebornen Fürſten vnd Herren / Herrn Philippen Landtgrauen zů Heſſen / ꝛc. Ob die Sacramentierer für Brůder zuerkennen vnd anzunemen / geſtelt Anno 1530.

DVrchleuchtiger / hochgeborner Fürſt / gnediger Herr / wir haben die ſchrifft / vns zůgeſtelt / die Brůderſchafft belangende / mit fleiß geleſen. Vnd bitten in aller vnderthenigkeit / E. F. G. welle vnſer antwort gnediglich vernemmen / dann Gott iſt vnſer zeug / das wir ja / ſonderlich in diſem fahl / niemandt zů lieb oder zů laid handlen / dann diſe zwyſpalt iſt vns von hertzen laid / haben auch auff erden kein gröſſer betrůbnuß / dann von diſer ſach /

das wir sehen / wie man zůfelt auff vngegründte opiniones / darauß grosse spaltung in der Kirchen / darzů vnrichtigkeit im Gewissen volget / dardurch man hernach weitter fellt auff andere schädliche gedancken / wie wir dañ sehen / das vilen jetzo widerfaren / welche erstlich vom Abendtmal habē Allegorisiert / kommen nun / vnd Allegorisiern von andern artickeln / Als namlich Campanus, Martinus Cellarius, Carolstatt / Felinus, darüber kein růh haben / sonder Practica machen / wie man solche mit gwalt hinauß füre. Darauß nicht allein ein groß grewlich blůtuergiessen zůbesorgen / sonder auch grosse spaltung in geistlichen sachen / vnd zerrüttung der Regiment / das sie in hundert jaren / ja nimmer / biß zů end der welt / wider zůflicken seyn. Ach Herr Gott / wie schröcklich anblick ists / solches grewlich ding zůbedencken. Derhalb mag vns E. F. G. glauben / das wir warlich in grosser betrůbnuß seind / vñ nicht lust haben / wie man vileicht gedenckt / das wir vnsers rhůmbs halbē vil zancken. Darumb bittē wir gantz vnderthenglich / E. F. G. wöll vnser antwort gnädiglich vernemmē / die wir auff das kürtzest gefasset haben / E. F. G. nicht lang auffzůhaltē. So achten wir / es sey nicht nott auff alle stuck der schrifft / so vns zůgestelt / zůantworten.

Erstlich der Brůderschafft halber / mag seyn / das man Christen / so irren / als Brůder / dulden soll / wie Christus selber seine Jünger geduldet hat / aber diejenigen / so vngegründte lehr fürgeben vnd vertheidigen /

digen/kan man nicht für Brüder haben. Dann man soll ja nicht willigen in vnrecht vnd vngewisse lehr. Darumb alles/so in gedachter gschrifft nach der leng disputiert wirt/das man die schwachen dulden soll/ kan nicht anders gedeut werden / dann auff solche schwachen/so jre vngewisse lehr nicht vertheidigen/ wie auch Paulus die Galater angenommen / hatt aber daneben von den jhenigen / so vnrecht lehr fürgaben/gesprochē/Jch wolt/das die/so euch beschneiden/weggeschnitten wurden.

Das ist vnser einfeltige meinung/ wie wir es gegen Gott gedencken zůuerantworten. Dann wie könden wir doch Brüderschafft mit vnser widerparth machen/vnd also willigen/das sie jr lehr vertheidigen für recht vnd gwiß / so doch vnser Gwissen anders fület vnd helt / vnd wirt durch jr disputation nit gestilt: Der Schreiber gedachter gschrifft mag es villeicht gůt meinen / aber er redt leider vom glauben zůschwach/ meint es lige nicht groß daran/ ob man schon in ettlichen artickeln / so in der schrifft sein/ jrre / vnnd es sey nit nott das man gewiß sey/ was man helt oder lehrt. Aber warlich/ wann das hertz vngwiß ist / vnd sol also vngwiß fürgeben / so ist es vbel verwart wider Gottes gericht/wie Paulus sagt: Was nicht auß glauben ist/das ist sünd/hie bedarff es gůter erfarung / wie der glaub gwiß soll seyn/so er vor Gottes Gericht bestehn soll. So seind auch die artickel vō Sacrament / als die wir teglich müssen brauchen/ mit zůgering zůachtē / wir kōnden

aber wol abnemmen/woher ſolche Theologia kommet/die da vermeint / es lige nicht groß daran was man lehre / es ſey gnůg vor Gott/freündtlich vñ erbarlich leben / alſo werend vil Philoſophi auch gůt Chriſten geweſen. Auff das ander ſtuck / das zůarbeiten auff ein Cõcilium/ſo Kay. May. der maſſen/ wie geſchribẽ/procediert/möcht es wol für ein Concilium gehalten werden. Es ſey aber im Concilio oder ſunſt/ſo ſeind wir ſchuldig/andern nicht zůweren/die lehr/ſo wir gwißlich für recht haltẽ/ zůuerbieten. Zů dem iſt auch nott/ das wir bedenckẽ/daß wir nicht andere gůte vnd gewiſſe lehr/mit diſer vngewiſſen ſubtilitet ſtopffen / wie bereyt an zum theil beſchicht.

Zum letſten / bitten wir vmb Gottes willen/ E. F. G. wölle in diſer groſſen hochwichtigen ſach vom Sacrament/ ſich nicht abwenden laſſen / von worten Chriſti/ auff Allegorien/deñ in Gottes ordnung můß man der wort eigenſchafft behalten. So die rationes / welche Zwinglius fürt / das Gwiſſen ſtilletẽ/dz es ſich vor Gott darauff verlaſſen möcht/ wir welten die ſelben Allegorien auch annemmen. Aber wir wiſſen / das ſie das Gwiſſen nicht zů růh bringẽ kõnden. Nun iſt ja ſchröcklich/ vngewiſſe lehr für gwiſſe verthädigen wöllen/vnd ab ſollicher vngewiſſer ſach zů groſſer ſpaltung vnnd krieg vrſach gebẽ. Diß vnſer einfeltig bedencken/ wölle E. F. G. nicht vngnediger meinung verſtehn / dann Gott iſt vnſer zeng / das wir hierinn nicht vnſern vortheil ſůchen/

ſuchen/ſonder mit höchſter begir Gott bitten/das er E. F. G. behůt vor jrrthumb vñ allem ſchaden. Wir ſehen das der Teufel ein grewlich ſpil im ſinn hat/ darumb iſt nott / das wir nicht freuenlich handlen. Wir haben E. F. G. kurtz wöllen antworten / wo aber E. F. G. lenger bericht von vns begert/wöllen wir vns ſchuldig erkennen/ mit allem fleiß nach der lenge bericht zůthůn. Gott beware E. F. G. alle zeyt. Amen.

Iudicium

D. PHILIPPI ME.
LANTHONIS, ET IOANNIS BRENTII: NVM SACRAMENTARII PRO

fratribus agnoſcendi recipiendiq; ſint: ſcriptum ad illuſtriſſimum Principem Philippum Landtgrauium Haſſiæ Anno XXX. Ex Germanico in Latinam linguam translatum.

ILluſtriſsime princeps, Domine clementiſsime, Scriptum de ineunda, cum Cinglianis ſocietate, ſiue fraternitate nobis redditum, ſtudiosè, diligenterq; legimus: & C. V. humilimè oramus, vt noſtrũ reſponſum clementer accipiat, Poſſumus enim Deum

vocare teſtem, nos nullius hominis, nec ſtudio, nec odio in hoc negotio elaborare: imò diſſenſiones illæ ex animo nos perturbant, ita vt nobis in hac vita, nihil ad acerbiſsimi doloris ſenſum grauius poſſet accedere, quàm hoc ipſum. Videmus enim multos fingẽdis opinionibus ludere, ex quibus poſtea in eccleſia, & animorum diſtractiones, & perturbationes conſcientiarum maiores exoriuntur, per quas etiã, ſubinde ad alios errores, maiori cum periculo coniunctos, homines delabuntur: cuius rei iam multa exempla extant. Quidam enim, qui initio duntaxat de cœna, allegorias in medium attulerant, iam eaſdem, in alijs articulis quærunt, nempe Campanus, Martinus Cellarius, Caroloſtadius, Felinus: & in hoc omni animi cõtentione elaborãt, vt per factiones, & vim, ſi aliter nõ poſsint, erroribus ſuis patrocinentur. Qui conatus nõ ſolùm cruenta bella, ſed diſtractiones in eccleſia, & diſsipationes Imperiorum, aliquot ſeculis, imò ad finẽ vſq; mundi non inſtaurandas minantur. Deũ immortalem, quàm triſte ſpectaculum eſt, horrenda iſta, vel tacitis duntaxat cogitationibus perſequi. Perſuadeat ergò C. V. ſibi de nobis, nos ita non his rebus delectari, vt ſeriò etiam perturbemur, nec (de quo fortaſsè ſuſpecti quibuſdam eſſe poſſumus) captandæ laudis gloriæq; cauſa lites contẽtionesq; mouere. Atq; ideo etiam humiliter C. V. oramus, vt reſponſum noſtrũ clementer audiat. Breuitati enim ſtuduimus, ne C. V. detineremus longius. Deinde etiã, quòd non iudicaremus operę precium nos facturos, ſi ad ſingula capita

ſcripti

scripti nobis propositi responderemus. Initio autem quod ad fraternitatem attinet fortassis fratres, qui aliquo errore impliciti sunt, tollerari possint, vt & ipse seruator Christus discipulos errãtes ferebat. At qui doctrinas prodigiosas non modo introducunt in ecclesiã, sed etiã defendunt, pro fratribus agnoscendi nõ sunt, nullo enim modo impijs et incertis dogmatibus assentiendũ est. Quare quæ in eo scripto, quod nobis redditũ est, de tollerandis infirmis prolixè agitantur, de ijs demũ intelligenda sunt, qui incerta dogmata nõ conantur defendere. Etenim D. quidẽ Paulus Galatas in fraternitatẽ susscepit: de ijs autem, qui errores defendebant, dixit: Vtinam & abscindantur, qui vos labefactant. Hæc nostra est de hac re simplex sententia, quã etiã speramus nos Deo approbaturos. Quemodo enim coniungere cum aduersarijs fraternam amicitiã possumus, & consentire, vt errores suos pro vera & pia doctrina propugnent, cùm & conscientiæ vulnera statim sensuri, nec medicinam ex ipsorum scriptis (quæ illi satisfaciat) inuenturi simus. Bono fortassis animo candidoq; author huius scripti disputationem istã instituit: sed nimis frigidè de theologicis rebus loqui videt, quia & errorẽ in articulis fidei scripturæ testimonijs suffultis, approbat, & certitudinem de ijsdem in ecclesia non putat esse necessariam. At quando conscientiæ inter certũ & incertum fluctuant, in iudicio Dei seueriori illo consistere nequeunt. D. enim Paulus dicit: Quicquid non sit ex fide, peccatum esse. Magna ergò cura diligentiaq; rerũ sacrarũ experientia

opus

opus est, vt fides, in seueriſsimo illo iudicio firma immotaq; possit consistere. Et propterea articuli de Sacramentis, quibus quotidie vtimur, nequaquam contemnendi aut aspernandi sunt. Sed facile coniecturam facere possumus, vnde noua hæc Theologia proficiscatur, quæ parùm referre existimat, quicquid tandem in ecclesia doceatur: ac Deo satisfactum esse iudicat, si primùm quidem otio pacisq; studeamus, deinde vitam virtutibus politicis vtcunq; exornemus. Sed si ea perfecta & absoluta ad benè beateq; viuendum ratio est, multi Philosophi Ethnici, in numerum Christianorum erunt referendi. Quantum ad secundam partem propositi negotij attinet, de Concilio instituendo, si ijs rationibus cogeret ab Imperatore, sicut scriptum est, posset pro Concilio agnosci. At siue Concilium instituatur siue non instituatur, certè nemo cogendus est, vt verę & pię doctrinæ, quam profitemur, renunciet. Præterea diligenter cauendum est, ne nimia subtilitate, quæ tamen nihil habet certi, cursus doctrinæ veræ & certissimæ impediatur, quod sanè iam etiam aliqua ex parte fieri experimur. Postremò C. V. obsecramus, ne in hoc magno & arduo negotio de cœna dominica patiatur se à verbis institutionis, ad nescio quas allegorias abduci. Nam in ordinationibus diuinis, proprietas verborum tenenda est. Et quidem si rationes, quibus Cinglius mouetur, conscientijs ita satisfacerent, vt in iudicio Dei, ijs niti possint, facile nos allegorias ipsius adprobaremus. Certum autem est, nõ posse acquiescere conscientias istis argumentis. Deinde ma-

demanifeſtum eſt, horribiliter eos peccare, qui incerta pro certis defendunt, & occaſionem præbent, nõ modo ſchiſmatis, ſed etiam bellis. Oramus autem C. V. vt ſententiam, pro tenuitate noſtra, de his rebus ſcriptam, clementer accipiat. Nam ſanctiſsimè confirmare poſſumus, nos compendij noſtri cauſa, nihil horũ ſuſpiſſe: ſed orare Deum Opt. Max. vt C. V. non modo liberam à falſis dogmatibus & erroribus ſeruet, ſed à reliquis etiam periculis clementer tueatur. Videmus enim diabolum magna & horribilia machinari conſilia. Quare cauendum eſt nobis, ne quid temerè agamus. Hæc C. V. breuibus reſpondere voluimus, quod ſi harum rerum explicatio copioſior à C. V. requiretur à nobis, agnoſcimus hoc nos debere C. V. & quidem ſummo ſtudio: ac paulò fuſius, quàm nunc fecimus, ſumus facturi. Deus Opt. Max. C. V. clementer tueatur.

Amen.

Kurtze verzeichnuß / auß dem vierdten Tomo, der bücher D. Martini Lutheri / belangendt das Colloqium zů Marpurg / von Philippo Melanthone geschrieben an Hertzog Heinrich zů Sachsen / ꝛc.

DAs ist die Summa der gehalten vnderrede kurtzlich gefasset / vnd bestünd also D. Luther auff seiner meinung / das warer Leyb vñ Blůt Christi im Abendtmal sey. Sie widerparth wolten nicht von jrem gefaſtē Glauben weichen. Begerten aber / D. Luther solte sie annemen / als Brůder. Solches hat D. Martinus in keinē weg wöllē willigen. Hat sie auch hart angeredt / das jn sehr wunder nem / wie sie jn für ein Brůder halten könden / so sie anders jre Lehr für recht halten. Es sey ein zeichen / das sie jrer sach nicht groß achten / ꝛc.

Tomo

TOMO QVARTO OPERVM LVTHERI, CAPITA EARVM RERVM, QVÆ IN COLLOQVIO MARpurgensi actæ sunt, à Domino Philippo Melanthone, ad Ducem Saxoniæ Heinricum, succinctè & dilucidè perscripta, his verbis leguntur.

HÆC summa est (vt multa breuissimis dicamus) totius colloquij. Lutherus in sua sententia perstitit, verum corpus & sanguinem Christi in cœna esse: aduersa autem pars à sua opinione discedere noluit. Orabant autem Dominum Lutherum, vt ipsos pro fratribus agnosceret, in quod ille nullo modo consentire voluit: sed durius illos allocutus est, dicens: Vehementer se mirari, quomodo ipsum fratris loco habere possint, siquidem suam doctrinam veram & piam esse iudicent, Sed hoc inditio esse, quòd non existiment etiam ipsi, multùm in hac causa esse situm.

IN HISTORIA DE ORIGINE ET PROCESSV controuersiæ Sacramẽtariæ de cœna Domini, Authore Ludouico Lauatero Tigurino.

PRinceps (Landtgrauius) & multi viri docti, quãtum authoritate & consilio anniti atq; efficere poterant, nihil prætermittebant, quò, dum per omnia in negotio cœnæ conuenire non possent, tamen alij alios fratrum loco haberent. Hanc conditionem Zuuinglius Luthero cum suis vltrò obtulit, sed impetrare ab eis non potuit, &c.

IN ORATIONE DE VITA ET OBITV Petri Martyris. Authore Iosia Simlero Tigurino.

Martyr reuersus ex Anglia, ad Argentoratum, respondit Senatui Argentoratensi, de subscribenda concordia.

Et inter alia verba dicit author.

POstremò addebat (Martyr) se vereri, ne concordiæ huic ad se allatæ subscribendo videatur ecclesias, Tigurinam, Bernatem, Basilienſem, Geneuẽsem, Lausanensem & Anglicanam, omnesq; per Italiam et Galliã dispersos fratres damnare, quod sanè per verbum Dei, & charitatem erga eos sibi non liceret. Proinde, vt Saxonicas ecclesias, omnesq; illis consentientes veneretur, & suspiciat, sic & alias, quas commemorauerit

morauerit, se amplecti in Domino, & vehementer diligere. NON enim hanc quæstionem tanti esse, vt inter fideles communionem & charitatem soluere debeat.

Vides ex his testimonijs, optime Lector, Cinglianos petijsse, vt à nostris pro fratribus agnoscantur. Quod manifestum est argumentum, eos arbitrari, doctrinam de cœna Domini esse inter adiaphora ponendam: ac parum referre, vtram sequaris: ideoq; nostrã sententiam de cœna non posse impietatis damnare, suam autem mala conscientia tam pertinaciter & virulenter propugnare.

FINIS.